

Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

# DE CREATIONE

MUNDI COMMEN-  
TARIOLUS,

Ad declarandam s. theologiæ  
summulam methodicam  
pertinens:

*Auctore*

MATTHIA MARTINIO, S. LITTE-  
RAR. PROFESSORE IN SHO-  
LA BREMENSI.

Psal. 100.

*Agnoscite DOMINUM esse Deum, ipsum effecisse  
nos, non autem nos ipsos.*



BREMÆ

Apud Johannem wesselium

---

ANNO 1713. cXIII.

DE GRÆTATIONE

MUNDI COMMEN-

Abbeclatandog... theologis

in uniuersalibus medicinis

peritibus:

Matthia

MATTHIA MARTINIO S. J. D. T. E. R.

RA. P. R. O. F. E. S. S. O. R. I. S. I. N. S. C. H. O. L. I. A. B. R. E. M. A. E.

LA BRESCHIA.

1710.

Apud Johannem v. Schönerm...



BREMÆ

Apud Johannem v. Schönerm...

ANNO 1710.





Reverendo viro, doctrina,  
pietate, prudentia & auctori-  
tate præstantissimo,

D. GEORGIO ERASTO, verbi divi-  
ni apud Evanczicenses præconi fidelissimo,  
& orthodox. ecclesiar. in Moravia vi-  
gilantissimo antistiti, domino &  
fratri plurimum ob-  
servando in  
Christo

S. P.

**C**ravi in ærore affecti sumus,  
quum de obitu sanctissimi  
viri domini Johannis Cru-  
cigeri, optimè de ecclesiis  
meriti episcopi vestri nobis renuncia-  
tum fuit. Quanta enim ejus pro pa-  
triæ salute cura, quanta sollicitudo, &  
quàm diligens labor in plantandis ri-  
gandisq; Dei campis extiterit; vos  
non nisi summa cum honoris testifica-  
[:] 2 tione

PRÆFATIO

tione & gratia recordari potestis; pro  
 eo, atq; ipse in vos & vos in ipsum ani-  
 mati fuistis & affecti. Sed neq; nos  
 in exteris locis, at fidei communionem  
 sancta conjunctis, id ignorare possumus.  
 De viri virtutibus locuples apud nos  
 testis est doctrinâ & pietate ornatis-  
 simus vir, d. Johannes Vetterus, qui in  
 nostra schola studiis illustrium vestrorum  
 ad Comitum Hodiciorum præest: qui pluribus  
 lacrymis patris charissimi quàm illius mortem,  
 deplorare non potuisset: præsertim  
 quum in eadem tempora duorum vestri  
 marchionatus luminum, illustrium &  
 generosorum dominorum, domini Comitis  
 Georgii ab Hodicio, & domini Viti ab  
 Hodicio, obitus incidisset: qui & Dei  
 incontaminatum cultum & patriæ pacem ac  
 felicitatem summis viribus quæsiverunt &  
 promoverunt. Fuerat enim illi aliquot  
 annorum cum eo consuetudo; unde omnia  
 quæ antè cogitatu læta existerant, ob  
 vim amoris & venerationis in  
 tristi-

PRÆFATIO

tristitiam summam sunt conversa. At  
 quæ literæ cum mortalitatem exuisse  
 narrabant, in bonam idonei successo-  
 ris spem nos erigebant. Quum enim  
 ipse præcordiis conceptam jam mor-  
 tem haberet, collegium divinæ de se  
 voluntatis argumento consolatus, bo-  
 no animo esse iussit; ut cui sciret cer-  
 tó, quem & nosset, á Deo fidelem præ-  
 fidem, cui publica res & omnium in-  
 columitas cordi esset, donatum & tri-  
 butum iri. Te nimirum, venerabilis  
 domine Erasme, divina providentia jam  
 designaverat, qui in ipsius locum suf-  
 fectus, ab ipso ad requiem cœlestem  
 concedente depositum onus tuæ exi-  
 miæ doctrinæ, pietatis & indefatigabi-  
 lis industriæ humeris susciperes; & vi-  
 vis divinæ *Ἐπισκοπῆς* actionibus mor-  
 tuum repræsentares. Quod ecclesiæ  
 Dei & Evancziciano collegio sit fau-  
 stum & salutare; ut, quod semper stu-  
 didisti, agri Domini sis *γεωργὸς ἐργαστὸς ἔν  
 πολυωφελής*. Ego veró pro amicitia no-  
 stra, olim sanctarum literarum com-

[:] 3 mer-



PRÆFATIO

merciis & *συμφιλολογίαις* contracta, hæ-  
tenúsq; integré culta, tibi hunc, Deo  
gloriosum & ecclesiæ fructuosum ho-  
norem, etsi cum laboriosum admo-  
dum, gratulari debui. Eam ob rem  
has qualescunq; de creatione medita-  
tiunculas cum tui nominis præscripti-  
one in publicum exire volui: in quibus  
partem methodi theologiæ, qua accu-  
ratiore plurimùm te delectatum esse  
memini, quum uná esse liceret, enar-  
ravi. Arida autem hæc sunt, fateor,  
quæ tamen latisimé explicari queunt:  
ut quæ universi mundi ambitum com-  
plectantur. Verùm tamen hîc nunc  
consultó á rerum naturalium & mora-  
lium pleniore discussione abstinui:  
nisi quód quum ad hominem ordo  
duceret, de eo plusculum dicere visum  
fuit. Quicquid autem hujus est, pro  
veteri familiaritate nostra, quæso, in  
bonam partem accipias; & studium  
saltem erga vos & ecclesias vestras tibi  
gratum esse patiaris. Unigenitus veró  
Dei Filius, passus pro nobis & ad dex-  
tram



PRÆFATIO

eram Patris sui exaltatus, vos pastores  
& oves sub omnipotentis suæ gratiæ  
umbra protegat, & adversus vim ac  
fraudes luporum tueatur: ut ex vestra  
cura & ministerio, regni Dei pomœ-  
ria longé latéq; propagentur. Quod  
mecum orantes tum collegæ tum eti-  
am veffrates, qui apud nos literarum  
causâ morantur, uberrimam é coelo  
vestris sudoribus influxuram exoptant  
& comprecantur benedictionem. A-  
men ita fiat. Scripsi Bremæ anno ultimi tem-  
por. 1613. prid. Calend. Martii.

*T. rever. dignit.*

*studiosissimus*

Matthias Martinus.

[:] 4

Admo-

PRÆFATIO



Admonitio de libro naturæ & scripturæ, ad intelligendam creationem.

**D**uo sunt libri, in quibus suas virtutes legendas Deus proposuit, natura unus, alter gratia: quorum ille ex voluminibus cœli, terræ & maris, hic ex veteris & novi testamenti paginis, scriptis scil. Mosis, prophetarum & apostolorum contexitur. Utriusq; imaginem poeta divinissimus David psalmo decimonono pingit; ubi, quum monuisset à cœlis enarrari Dei gloriam, sicut opus præclarum laudare dicimus artificem suum; quumq; admirabilem dierum & noctium vicissitudinem predicasset, & velocissimum ordinatissimūq; solis, tanquam fulgentissimi & regii in cœlo sideris, motum, omninoq; folia quedam cœlestis voluminis explicasset & legisset; ad gratiosum transiens ait: Doctrina DOMINI integra est, restituens animam, sapientiam afferens imperito. Apostolus v. Paulus hæc duo scripta arctè coniungenda docet, quum Rom. 10. 18. de verbi Dei mysteriorum dilatatione sub novo imprimis testamento factâ loquens, In omnem terram, inquit, exivit sonus eorum, nempe evangelii prædicatorum, & ad ultima orbis terrarum verba eorum. *Quæ à Davide de natura tabulis*

## P R A E F A T I O

*fabulis dicta fuerant, etiam ad gratia monu-  
 menta nunc transferri posse ostendit: ut quam  
 late caelorum lineae extenduntur, dum corporum  
 & pulcherrimorum & utilissimorum species ac  
 imagines, quibus visum nostrum lacesunt, in  
 oculos nostros manifestissime influunt, & se no-  
 bis sponte ingerunt: ita etiam sonus praedica-  
 tionis evangelicae jam omnes mundi angelos re-  
 plevit: sic ut quam comparationem obtinet  
 linea seu radius luminosus ad oculum, eam ha-  
 beat sonus tanquam radius quidam vocalis ad  
 aures: ut linea quodam modo audiri & sonus  
 videri queat. Ista linea et iste sonus scholas pe-  
 pererunt sapientissimas & amplissimas, quas  
 ἡσθητικὴν ἢ ἐκκλησιαστικὴν πανήγυριν dicimus.  
 Illa sensus & rationem adhiberi jubet, & arca-  
 na naturae spondet infinita, ubi nulla creatura  
 tam tenuis aut vilis est, in qua divinarum vir-  
 tutum quaedam non lateat abyssus: adeo ut vel  
 spretum animalculum, quod proculcationi na-  
 tum videatur, aut etiam pulvisculus quidam,  
 ad eximum profectum nostrae meditationis  
 vim possit exercere omnem. ut mirum non  
 sit, Aristomachum Solensem, ut Plinius lib.  
 11. natur. hist. cap. 9 testis est, duodesexagin-  
 ta annis nihil aliud egisse, quam ut apes cura-  
 ret & earum naturam observaret. Hunc na-  
 turae librum etiam gentiles legerunt diligenter,  
 & inde ad Dei agnitionem praclare aliqui pro-  
 fecerunt.*

[ : ] 5 fecerunt.

PRÆFATIO

fecerunt. *Hermes Teis μέγας* & dicitur in  
*Asclepio ait*: Cœli & ipsius animæ & omni-  
 um quę in mundo insunt, ipse gubernator est,  
 qui omnium effector Deus. *Item*, Mundus  
 præparatus est à Deo, receptaculum omni-  
 formium specierum. *Item*: Æternitatis do-  
 minus Deus primus est: secundus est mun-  
 dus, homo est tertius; quatenus scilicet Deus  
 perfectionem mundus magnus & parvus repre-  
 sentant: quas duas Dei imagines vocat. Et  
 apud Platonem in *Sophista* quod sub persona  
 hospitis quaesitum fuerat, an dicendum sit o-  
 mnia à Deo opifice aliquando facta esse, quum  
 prius non essent; concedit *Theætetus*, & asserit,  
 κατὰ γὰρ θεὸν αὐτὰ γίνεσθαι, i. e. à Deo illa ex-  
 sistere. Et lib. 7. de rep. astronomum, si sidera  
 intueatur, iudicaturum, ὡς καὶ λέγει τὰ τοιαῦτα  
 ἔργα στήσασθαι, ἵνα εὐνεσθῆναι τῷ τῆ ἔργα  
 τῆ δημιουργίᾳ αὐτόν τε καὶ τὰ ἐν αὐτῷ, i. e. ut  
 pulcherrimè illa opera illa sint coagmentata,  
 ita ab opifice cœlum & quę sunt in eo consti-  
 tuta esse. Magis ex professo in *Timeo*, quem  
 dialogum de rerum natura composuit, de mun-  
 di principio disputat: eumq; ortum aliquando  
 esse eo probat; quod quum & tangi possit & in-  
 telligi, à causa aliqua eum produisse sit necessū.  
 Prestantia scilicet ea casu constitui non potuit,  
 & causarum aliquem modum determinari o-  
 portet, ne progressus fiat in infinitū. *Ibidē* etiam  
 Deum bonitate sua motum docet, ut mundum  
 condi-

P R Æ F A T I O

condiderit. *Τίμαι* verba sunt: ἀγαθὸς ἦν· ἀγαθὸν  
 ἦ δὲ εἰς πλεῖστον ἐδέετο ἐγγίγναι φθόνος. Τού-  
 του δ' ἐκείνου ὡν πάντα ὅλη μάλιστα ἐβλήθη γενέσθαι  
 ἀγαπλήσια αὐτῷ. i. e. Bonus erat. In bono  
 autem nulla de ulla re unquam existit invi-  
 dia. ab ea verò quum immunitis sit, omnia maxi-  
 mé voluit fieri sibi similia. *Orpheus ad filium  
 Musæum scribens docet, quòd Deus, quem pa-  
 trem nominat,*

— — κόσμον ἀπάντα ἐαῖς στήριξαι βελαῖς.  
 i. e. mundum totum suis stabiliverit consiliis.  
*Item dicit,*

εἷς ἐστ' αὐτογενής· ἐνὸς ἐκγονα πάντα τέτυκται.  
 i. e. Unus est, per se existens: ab uno omnia  
 edita & facta sunt.

*Et Sophocles præclare ait;*

Εἷς τις ἀληθείαισιν, εἷς ἐστὶν θεὸς,  
 Ὃς ἔργον τέτυχε καὶ γαῖαν μακρὰν,  
 Πόντου τε χαρπὸν οἶδμα, κανέμων βίαις, i. e.

Unus re verâ, unus est Deus,  
 Qui cœlum fabricatus est & terram lōgam  
 Pontίq; cœruleum tumorem & ventorū vim.

*Partim per ratiocinationem ab operibus ad-  
 opificem asurrexerunt, & collegerunt viri sa-  
 pientes, casu non exstitisse hanc mundi machi-  
 nam: partim etiam ex doctrina ecclesie scintil-  
 las aliquas veritatis translucens acceperunt.  
 Nam, ut apostolus ait Rom. 1., Dei invisibilia  
 jam inde á condito mundo ex iis, quæ fecit,  
 mente perpensa pervidētur, æterna videlicet  
 ejus*

PRÆFATIO

ejus tum potentia tum divinitas. At quis ad  
 justum profectum pervenit, cui Deus & mundi  
 conditio ex familiariore ecclesie schola non in-  
 notuit? Facti illi sunt ἀναπολόγητοι; & Dei ve-  
 ritatē mutarunt in falsitatem, & in suis con-  
 templationibus evanuerunt, præteritōq; creato-  
 re creaturas coluerunt. Qui optimè de mundi  
 origine disseruerunt, Deum ejus δημιουργὸν ἀ-  
 γνοσκunt: at non sine multiplici defectu aut eti-  
 am vanitate. Aristoteles, si Dei opus esse fatetur,  
 at coeternum illi tamen esse existimat, quasi è  
 divina natura necessitate profluxerit; non autē  
 libero ejus arbitrio ante annorum pauca millia  
 exstiterit. Opiniones majorum Plato in Timæo  
 & Critia se sequi fatetur, quas licet fabulosas a-  
 licubi esse non neget, antiquitatis tamen intuitu  
 retinet, ignar<sup>9</sup> eas à veris narrationibus discer-  
 nere. Ἰλὴν & ιδέαν aternas cum Deo ponit: ex  
 materia iam antè exsistente mundum factū esse  
 docet; ιδέα in ὕλην introductά, & ab ἀταξία eis  
 ταξίν revocatά. De demonibus, eorum genera-  
 tione, & quæ per eos fiat, creatione humanorū et  
 brutorum corporum, quàm sunt multa δαιμονί-  
 ως φλεδονώδη! Solus Deus hīc idoneus nobis de  
 sese & factis suis est magister: qui nisi in gra-  
 tia schola, natura quoq; ortum & statum nobis  
 explicaret: quàm tenuis, quàm confusa, quàm  
 deniq; corrupta foret sapientia nostra, adeóq;  
 ἄσκιος scientia! Ex divina verò historia mo-  
 numer-

## PRÆFATIO

nummentis discimus clarissimè, verbo DOMINI factos esse cœlos & spiritu oris ejus omnes exercitus illorum. Ex his cognoscimus, quanam & quo ordine quàmq; admirabili sint producta, & ex collatis numeris certum habemus, hanc fabricam nondum sex millenariorum ætatem attigisse. Hinc apostolus, quanquam alibi Deum naturâ quoq; notum esse docuisset, in epistola ad Hebræos cap. II. nostram à philosophica discernens scientiam, per fidem, inquit, intelligimus mundum fuisse conditum verbo Dei, ut, quæ cernimus, non ex apparentibus existerent, i. e. ex nihilo. Quod enim ex nihilo nihil fieri dicitur, non Dei omnipotentis, sed nature tantum angustias indicat. Est enim ipse, quod Rom. 4. monetur, qui ea quæ non sunt, tanquam sint, vocare possit.

DIS-

DISPUTAT.

- I. de exsequutione in genere & de creationis definitione.
- II. de communibus creaturarum dotibus ex prima creatione: & de creaturis notitiæ expertibus in specie. nempe operibus quatuor primorum dierum.
- III. de creaturis notitia simplice p̄ditis, ut sunt tantū sensu, brutæ animantes, quæ tum quinto tum sexto die sunt conditæ, tantū a. intellectu angeli.
- IV. de creatione hominis.

Corrige.



## Corrige.

Pag. 31. l. 29. post *lucem*, adde, *vel potius ab  
αὐτῷ splendo, quod eo significatu Etymologus af-  
fert. p. 32. l. 2. pro solis lege sicut. Et l. 14. sunt  
pro sint ibid. l. 40. singulorum p. 36. l. 3. dici  
videatur. Sed quæq; planè idem est atq; ζῶον.  
Veteribus enim Germanis *ghuekh* fuit vivus.  
In verustissimo symbolo apostolico est *Thana  
Chuinfic ist sonen ghueke enti tote/ i. e. dannen  
her er kunstig ist zu richten die lebendigen vnd die  
toden. Amant autem Dani & pro f. Saxonibus  
olim *cucum* erat p̄ vivis, ab eadē origine. Hinc  
nobis in compositione manet *quecksilber/ i. e.  
argentum vivum, erquicken ζωοποιεῖν, laben/  
recreare. Videtur autem vox planè esse Græ-  
cæ originis. Nam *κίβος* est vis, & à *vi* Latinis  
*vita* dicitur. *κινῶ* valeo, viribus polleo. p. 47.  
l. 1. sed pro *sen. p. 100. l. 4. à fin. ἀρρενόθηλος.****





DISPUTATIO I.

DE EXSEQUUTIONE  
DECRETORUM,  
ET DE CREATIONIS  
DEFINITIONE;

Resp. BERNHARDO LAKENIO Vesaliensi e Clivia.

THESIS I.

Sapiens nihil decernit, nisi quod fieri de-  
ceat; & opportuno loco ac tempore effi-  
cit decreta: νοεῖ καὶ τότε πράττει, πράττει δὲ  
ἀμεταμέλητα, i. e. cogitat, & sic operatur:  
operatur autem ea, quorum ipsum pœnitere  
non queat.

2. Sic maximè Deus agit; cujus tamen  
consilia vacant ambiguis cogitationibus, &  
operationes omnis sunt expertes difficultatis.

3. Consiliorum divinorum doctrinam  
excussimus: quare jam suo ordine ad exse-  
quutionem transimus, his verbis: *Hec etiam*  
*de decreto: sequitur de exsequutione.*

4. Æterna temporariis, consilia operibus  
præponimus: quum illa sint horum causæ  
quædam; nempe velut ideæ seu exemplaria,  
secundum quæ quasi oculis res exponuntur,  
quæ animo propositæ erant.

5. *Exsequutio autem est actio Dei in tem-*  
*pore, quæ implet decreta.*

A

6. Exsequi

6. *Exsequi* proprie est extra sequi, ex uno loco in alium. Hinc exsequiarum nomen ad funera, quæ sequi solemus, traductum est. Huic affine est, quod græcis dicitur *ὑπελείν τὴν ἐκφορὰν*. Frequentissime verò ad rei decretæ, aut iussæ effectiōnem transfertur; & est q. sequi consilium, aut præceptum, id exterius ad aspectum faciendo, quod intus in animo consultantis velut conclusum erat. Sic Græcis *ἔπω* est sequor & operor seu tracto. Sequendi tamen notione ferè dicitur *ἐπιμα*. Hinc *διέπειν* est administrare, *μετέπειν* tractare, exercere. Quia etiam qui aliquid narrat, mente cogitata velut sequitur sermone; exsequi est *διηγείσθαι*. Nobis hîc exsequi est quasi ad externa procedendo internam decreti normam sequi: quod statutum est mente, etiam opere statuere. Germanis hoc est *ins werck richten* q. dirigere in opus, h. e. ita tractare, ut opus existat: *richten* est proprie rectum facere, *ὀρθῶν*, ut quum architectus canonem erigit. Hîc Deus est verus ille *ὀρθῶς* seu stator, qui sistit & dirigit omnia. *Vollenden* est *voll enden* plenè finire seu absolvere, *πρὸς ἀνύπτῳ*, valdè consummare. Hebræi operandi faciendiq; vocibus hanc rem efferunt: de quibus monuimus; quâ actiones dei in genere interpretaremur.

7. Exsequutio cum decreto hoc cōmune habet,

habet, quod est *actio Dei*: sed ut hoc intelligentiæ & voluntatis, ita illa est potentia agendi se exferentis, instar manus.

8. Differt autem a decreto, quod, ut hoc est actio ab æterno, ita exsequutio *in tempore*.

9. Quum enim Deus extra se agere incipit, & res finitas actione externæ condere: durationis etiam cœpta est dimensio; æternitate Dei non mutatâ, ejus tamen imagine tempore ad res extra ipsum ab ipso translata.

10. In duratione enim conveniunt æternitas & tempus; & tempus nos quidem concipimus, ut æternitatis particulam; etsi illa, æternitas puta Dei, sit indivisa & intima Deo, istud autem, tempus nimirum, sit divisum: unde etiam τὸ ἄρον τὸ τέμνεσθαι dici videatur; quod sit duratio sectilis; cujus species seculum, quasi (ut opinamur) secta portio temporis, ferè C. annorum. Ergo syllaba *pus* adjectio fuerit flexionis ergo, sicut πη in τέμπη, quæ sunt cavitates montium; quasi dissecta loca, quibus montes a se invicem dividuntur. Et Angli illam syllabam negligentes tempus vocant *time*, q. τὸ μὴν. Si verò seorsim etiam istam attendere velimus, plenius dicatur temporis vox esse τέμεις seu ταμεις πόροϛ, sectus transitus. Τεμνόμηνον ἢ πορεύεσθαι, i. e. sectum enim seu divisum transit: quia est perpetua in eo successio; ubi ἐν τῷ νῦν ἐπέειχεν

τὸ ἕτερον, i. e. unum nunc, ut dici solet, impellit alterum. Propter hunc perpetuum tractum continuationis rerum, sapienter nostris vocatur zeit/ á ziehen quod est tangendo trahere. Est enim á Saxonico *tehen*, quod á veteri *tago*, *θίγω*, ut *pango* á *pago*, *πήγω*, *πάγω* in Dorismo.

II. Tempus veró híc laté accipimus, pro omni finita duratione, etiam brevissima: quæ dicitur *χρόνος* & *ἀκαρής*, vel *ἀκαρής τοῦ χρόνου*: sicut Hebræis *קו* tempus & momentum significat. Quinimó, quod *קו* est, id est, nunc; id proprié tempus est. Quod præterit, erat tempus, quod futurum est, erit tempus in se: etsi per anticipationem cogitetur esse. Res utilissima nobis data est, cujus sumptus dicitur preciosissimus: unde etiam, quod utendum datum est, *ὡς δὲ τὸ χρόνον χρόνον* tempus dictum videatur.

12. Tale quid tempus est, quod in rebus finitis semper fit & deficit. Uno momento evanescente aliud oritur: & prius est irrevocabile. Contra autem locus nec fit nec deficit; si per eum intelligas spatium in se res finitas recipiens, i. e. non impediens, quin recipiantur. Hoc enim per locum intelligimus, quod inane & nihilum vocatur Job. 26. 7. *Extendit aquilonem super inane; suspendit terram super nihilum.* Quod enim spatium  
vacuum

vacuum fuit ( ut quæ nunc est rerum univer-  
sitas, antequam in eo creaturæ collocarentur,  
vacua erat ) quod, inquam, spatium vacuum  
fuit, locus occipit dici, quando in eo aliquid  
incipit esse. Qui locus quando talis est, ut  
in eo res sustentetur aut quiescat, dicatur lo-  
cus conveniens seu opportunus & stabilitus.

13. Quod Deus non semper egit, sed ἐν τῷ  
νῦν πρὸς τῷ ὀρισμῶ i. e. in definito & certo  
quodam puncto: id dicitur in tempore fecis-  
se aut facere.

14. Falsum enim est illud Græcorum, con-  
tra quos Justinus Martyr disputat, axioma:  
ἄδὲν ἐγγεγονόν ἐστὶ πρὸς τῷ θεῷ, id est, nihil  
est temporarium apud Deum.

15. Quod si ita accipiatur, ac si Deus in  
tempore nihil agat; in tempore mundus non  
fuerit creatus, sed ab æterno exstiterit. Ita res  
erunt, antequam sint: & ubiq; erunt, etiam  
dum sunt nusquam.

16. Sunt veró manifesta testimonia scri-  
pturæ. Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus cæ-  
lum & terram*, h. e. ante cætera opera sua ex-  
terna. Dedit enim rebus ut essent prius,  
quàm regerentur. Et Joh. 5. 17. *Pater meus  
usq; adhuc operatur, & ego operor*,

17. Porró exsequutio est ejusmodi Dei  
actio, qua implet decreta.

18. Sunt enim decreta q. norma in agente

A 3 ipso



6:  
ipso de agendis extra ipsum: qua ideam præscriptam manus effectrix sequitur, & cuius lineamenta illa exprimit.

19. Decreta ut ut sapientiæ plenissima, à rerum, quæ faciendæ decernuntur, substantia sunt vacua: quæ quando existit, quasi rerum plena fiunt.

20. Docet hoc apostolus, quum ait *Eph. 1. 11.* quòd Deus *agat omnia ex consilio voluntatis suæ.*

21. Hic verò jam opportunum est evidenter discernere inter actionem & opus. Exsequutio (ἡ ἀγέπεια) est actio, quasi fluxus virium agentis. Opus πρᾶγμα est, quod exsequendo factum est. Ideo coniectarium exsequutionis finitioni subdimus istud: *Hanc (exsequutionem) sequitur opus, hoc est, aliquid exsequutione productum.*

22. De voce operis aliquid monuim⁹ disput. 5. decad. 1. Usurpatur quidem ea nonnunquam tam amplè, ut idem sit atq; effectum. Restrictè autem operatio est ut motus & ἐνέργεια opus ut res motu facta seu ἐνέργημα vel ἀποτέλεσμα. Sic creatio est actio: creatura opus: ædificatio actio, ædificium opus.

23. *Esa. 66. 2.* ποιῆσιν & ποιήμα discerne. *Omnia ista, inquit Dominus, fecit manus mea, & existunt omnia ista.*

24. In æternis decretis etiam distinguere licet



7:  
licet inter βέλευσιν & βέλευμα; quasi motum  
animi, actum scil. discernendi; & rem decre-  
tam in discernente conceptam.

25. At hinc distinctio est ad sensum mani-  
festa; & opus, quod illic videl. in decreto,  
adhuc est in mente operantis, hinc est extra e-  
am. Ideo hinc cum adjectione dicimus,  
quod opus sit *extra Deum*,

26. Sic docet Moses *Gen. cap. 1.* lucem ex-  
stitisse, nempe in sua natura extra Deum v. 3.  
& cœlum, inq; eo aquas superiores ac infe-  
riores v. 7. herbas & arbores v. 11. stellas v. 16.  
pisces & volucres v. 21. bestias & pecudes ac  
reptilia v. 25. & hominem v. 27.

27. Sed quæras, quomodo aliquid possit  
esse extra eum, qui ubiq; est: præsertim,  
quum *Act. 17. 28.* apostolus affirmet, nos in  
Deo vivere, moveri & esse? *Resp.* Omnes  
creaturæ sunt in Deo & extra eum. In Deo  
quidem sunt non tantum, quatenus ab eo  
cognoscuntur universæ, sed etiam quatenus  
ejus ubiq; præsentem providentiam, tanquam  
manu, sustinentur. Extra Deum verò exsi-  
stunt, quatenus suam à Deo distinctam na-  
turam obtinent, & neq; partes neq; acciden-  
tia Dei sunt. Non sunt à Deo separatæ lo-  
co, quasi alicubi esse queant, ubi Deus absit;  
sed aliæ res sunt, quam Deus, & in Deo non  
inhærent, aut inhærent cogitantur, ut in sub-  
jecto.

A 4

28. Opus

28. Opus Dei, exsequutione productum, est extra Deum: *ideoq; finitum est & suâ naturâ mutabile.*

29. Quod in Deo est, cū Deo est, ubicunq; is est. Ubiq; autem ipse est. Quod veró est extra Deum, nō est, ubicunq; Deus est: at Deus est, ubicunq; ipsum est. Infinitū enim est in finito & extra illud, quatenus ei nō est inclusum.

30. Secundū hunc generalem existendi modum etiam humana natura Christi est extra Deum: etsi τῷ Λόγῳ sit unita hypostaticē. Non sic extra Λόγον est, ac si ab eo ullo modo separetur: sed quia diversam ab eo essentiam habet, quæ Verbi illius nec pars est, nec accidens. Et sic verbum est in carne assumpta, ut tamen etiam sit extra eam, quippe quum carni non includatur, neq; certis terminis contineatur, quales caro omnino habet: Nimirum ut manus est extra humeros, neq; tamen ex eo humeris unita esse desinit.

31. Cæterū finitio illa creaturæ est conditio, secundū quam in certo loco & tempore terminatur: atq; ita essentiam habet certis limitibus contentam, quos limites per quoddā initium, medium & finem concipimus, intra quæ res creata est & operari potest. Sic de qualibet creatura comprehendi potest, ubi sit & ubi non sit: etsi non omnis possit ita secari, ut pars à parte separetur.

32. Locus enim est id spatium, in quo res locata comprehenditur: quod nempe vacu-

9.  
um foret, si in eo res creata non esset. Id a-  
stando Hebræis *דִּיפּוֹ* dicitur, quia res ibi  
consistit; ut nobis *stede à stehen*: & *locus*, quia  
res ibi *λέγεται*, sita est: *Ort* / quia locus ex ora  
judicatur: *Πλατῆ* / quia *πλατύς*, latus, amplius  
& capax est ad comprehendendum locatum.

33. In tempore etiam seu finita duratione  
est omnis creatura: quia ex alio momento in  
aliud per successionem fertur; & hinc anteces-  
sio ac consequutio numeratur. Omne fini-  
tum habet aliquid, quod est in actu, & ali-  
quid, quod est in potentia: atq; ita aliquid  
prius & posterius.

34. Mutabilitas verò est affectio, secun-  
dum quam creatura potest *ἀλλάττεισθαι*, seu ali-  
ud atq; aliud fieri, atq; etiam defieri. Sic ex  
bona potest fieri mala & ex felice misera;  
ex ente non-ens.

35. Deus quidē quas vult creaturas stabilit,  
ut ex statu recto nō excidant: omnes interim  
dependent à Deo; ideòq; bonitatis gradibus  
variari queunt; & ex nihilo sunt, si primum  
principium attendatur, unde etiā à bono de-  
ficere queunt, nisi Dei gratiā suffulciantur.

36. Ita de cœlis etiam ait propheta *Psal. 120.*  
*26. 27. 28. Opus manuum tuarū sunt cœli. Ista*  
*peritura sunt, tu autē pmanes; ista, inq̄, omnia*  
*ut indumentum mutabis atq; mutabuntur. Et*  
*Esa. 40. 17. 18. Omnes gentes velut nihil sunt co-*  
*ram eo, minus nihilo & inanitate reputantur*  
*ei. Cui ergo assimilabitis Deum?* 37. Hinc

37. Hic vide dissimilitudinem inter Deum & creaturas. Deus est originis expers, individuae naturae, summè necessarium ens, nempe omnino immutabile, aeternū, immensum. Omnis autem creatura orta est, & à Deo dependet, composita est, contingens seu mutabilis in se, finita tempore & loco. Tantis intervallis distat rerum conditarum universitas à Deo!

38. Ita patet exsequutionis natura in genere: distinguitur verò convenienter decretis. Nam *Exsequutio est alia, qua Deus implet providentiam: alia, qua praedestinationem: quoniam exsequutio est decreti effectio.*

39. De utraq; exsequutione aliquid conjungitur Deut. 32. 6. *Nonne ipse (DOMINUS) est pater tuus, redemptor tuus, nonne ipse magnificavit te & confirmavit te? Et Ps. 100. 3. Agnoscite DOMINUM esse Deum; ipsum esse fecisse nos (non autem nos ipsos) populum suum & gregem pastus sui. Et Col. 1. 16. 17. 18. Per eum (Filium Dei) condita sunt omnia, & omnia per eum consistunt: estq; caput corporis, id est ecclesiae.*

40. *Providentiam implet Deus creando & gubernando: rebus scil. essentiam dans & eam variè afficiens. Act. 27. 26. 27. 28. Deus dat omnibus vitam & halitum & omnia: fecitq; ex uno sanguine totam gentem hominum &c. In ipso enim vivimus sumus ac movemur.*

41. CUI

41. Cum creatione statim cœpit gubernatio; recta tamen docendiaratio totam illius explicationem huic præmitti postulat.

42. *Creatio est creatura productio prima.* Hic comprehenditur operatio & opus. Creatio enim est actio, cujus terminus est creatura.

43. *Creandi* verbo significatione & sono vicinū est τὸ κρείνειν, quod est efficere fortiter & regnare. Ergo ejusmodi effectio eo notari videtur, quæ cum imperio in rem sit conjuncta. Hòc autem prius fuerit κρέω, quod regnandi notione reddūt: cujus vestigium adhuc est in voce κρείων imperator, rex, κρείσσω regina. Et in Græca vulgata lingua hodie rex est κρέλης, in Slavonicis *kraly*: quin & Ægyptiis, Turcis ac Hungaris vox ea agnoscitur. Et hinc *creo* Latinis fluxisse apparet: ab hoc autem *cresco*. Veteribus erat *cereus*, unde *cerus manus* id est, creator bonus; apud Festum. Græcum κρίζειν ita videtur esse condere, ut conditum possideas: tanquam sit ἀκτῆμι id est, κτρίομαι, acquiro seu possideo. Hebræum est כָּרַךְ, quod ferè creandi & recreandi verbis exponitur. Germanico *schafsen* affinis est *scapha*: Inde conjicimus esse aliquid struere cum cura & solertia, ut navis σκευάζετω. Sanè rei effectæ administratio κυβένησις dicitur, voce propriè nautica.

*Tworina*

*Tworim* Slavonis, est velut in aspectum producere, & faciē rei dare, quæ est *twar* à *tueri*.

44. Creatio verò aliàs significat effectiōnem magnificā insignis cujusdam eventus ut *Esa. 45. 7. & 57. 23*; & aliàs ex nihilo *Gen. 1. 1.* de conditu terræ: aliàs ex materia supposita *Gen. 1. 21.* Nonnunquam accipitur pro generatione, quæ fit ordinariē cooperante natura *Esa. 43. 11. 15. Amos. 4. 13.* Etiam pro regeneratione, quæ est quædam recreatio, ut *Esa. 65. 17. 18. Ps. 51. 12 Eph. 2. 10.* Et pro ordinatione frequens est usus apud Latinos; ut quum dicitur creari magistratus.

45. Nobis hîc creatio significat primam illam effectiōnem rerum, quæ antē non erāt.

46. Ea autem est duplex; una qua simpliciter ex nihilo tota rei essentia facta est: ut fiebat terra, aqua, lux, angeli & anima rationalis: Altera autem, qua certæ entium species productæ sunt ex materia per se ἀκατασκευάσῳ sive indisposita & inhabili: ut quum ex terra deus Adami corpus, ex costa autē ejus corpus Evæ struxit & quasi ædificavit. Hîc enim scriptura vocibus יצר & בנה utitur in specie.

43. Ex hac creationis descriptione liquet discrimen inter creationem, propriē dictam, & generationem ac fabricationem. Creatio est actio Dei solius, ideoq; supernaturalis dicitur.

dicatur. Creatio est à virtute infinita: ideòq; non requirit subsistentem & apparatusam materiam, quippe & ipsam ponere valens: nec etiam moram, intervallum seu successionem temporis, quum se explicare uno momento queat ad opus complendum; sine imminutione potentiae, absq; fatigatione & labore. Generatio autem fit secundum ordinariam naturae potestatem; unde naturalis actio vocatur. Hæc est à virtute finita, atq; ita requirit materiam habilem & formæ cognatam: & fit tractu temporis, ac nonnunquam cum difficultate. Ideo ait propheta *Ps 33. Ipso dicente est, ipso præcipiente existit.* Natura non potest ex quolibet quidlibet, multòq; minus ex nihilo aliquid producere. Ex ferro non gignitur arbor, sed ex semine: neq; ex quovis semine quavis, sed certa ex certo: ut *Gen. 1. 12.* naturæ vices sunt definitæ. Fabricatio verò fit instrumentis artis; unde artificialis nominatur. Hic varia *μεταβολή, μεταβολή, & ἀφαιρέσις*, i. e. appositione, transpositione & detractione res figurantur: ut quum ligna dolantur, diriguntur, curvantur, &c.

48. Quando creatio dicitur constitutio substantiæ ex nihilo: duo ad eam rem intelligendam sunt notanda. Unum est, quòd phrasia *ex nihilo* hic terminum non materiam notet. Alterum, quòd aut substantia tota sit ex nihilo; aut saltem forma ejus.

49. Dixe-

49. Dixerunt quidam ex scholasticis, res habuisse essentiam in mente divina, id est, in ideis: in creatione autem mutationem passas esse, addita existentia. Sed tum hinc, tum alibi sæpe, cavendum est, ne confundamus res, ut sunt in se, & ut concipiuntur seu cognoscantur. Aliud est res, aliud ejus cognitio. Novit Deus ab æterno omnia opera sua. Fecit ea in tempore: & nunc ut facta cognoscit. Quæ erant in mente Dei cognita & in voluntate ejus destinata: eis analogia seu correspondentia effecit, creando visibilia & invisibilia.

50. Creatio autem non denotat tantum actum τὸ κτίζοντα i.e. creantis, sed etiam actum τὸ κτίζόμενον i.e. ejus quod creatur, ejus τὸ γίνεσθαι i.e. fieri. Et hæc creatio in creatura est relatio ad Deum creatorem, ut principium. Non enim sic passionem significat, ut gubernatio τὸ κυβερνῶμενον: quippe quod nondum est, nec pati potest. Quum res creatur, incipit esse; & dum incipit esse, etiam referri ad eum à quo est.

51. Terminus creationis est creatura, hoc est substantia creata, cum qua quæ ei accidunt συκτίζονται i. e. unâ creantur.

52. De creatione passim docet scriptura; imprimis cap. 1. & 2. Gen. & Ps. 33. 148. & Rom, 1. 20. Col. 1. 16.

53. Attri-



53. Attribuitur ea patri & Filio, quando apostolus *Heb. 1. 2.* ait, quod Deus per Filium mundum condiderit. Sic de Filio sunt illustrata loca *Job. 1. 3. Col. 1. 16.* Et spiritus Dei fit mentio *Gen. 1. 2.* Et sacrae triados mysterium exprimitur *ibid. v. 26.* quando scil. Pater ceteras personas alloquens, *Faciamus*, inquit, hominem.

54. Quando verò in symbolo apostolico Deus Pater dicitur creator; eo significatur, ab ipso esse operandi principium, ut à quo Filius & Spiritus Sanctus procedunt ut à fonte; atq; inde eorum manant actiones. Ideo & patri convenit illa vox *Faciamus*.

55. Productio creaturarum, de qua nos hinc loquimur, est *intra primos sex mundi dies facta*. Ideo *Gen. 2. 2.* dicitur *die septimo perfecisse* i. e. perfectum habuisse *opus suum*; jam sexto die absolutum. Et *Exod. 20. 11.* *Sex diebus perfecit DOMINUS cælum & terram, mare & quicquid est in eis.*

56. Quamvis enim Deus omnia uno momento condere potuerit; magni tamen de causis mundi *γένεσιν ἐξ ἀήμερον* esse voluit.

57. Intererat enim divinæ gloriæ, ut suam liberam potestatem in rebus alio atq; alio tempore creandis declararet: suam etiam omnipotentiam in producendis rebus citra adminiculum causarum naturalium; ut quum  
lucem

lucem ante solem, & stirpes ante sidera, & citra eorum influxum condidit: sapientiam etiam in rerum ordine, & benignitatem in curarum rerum nondum in lucem editarum; ut quum hominem non condidit prius, quam mundum omnium rerum penu & copia instruxisset & exornasset. Nobis verò sapientem in agendo ordinem præire, & ad sabbathi institutionem viam parare voluit.

58. *Ita ergo exstiterunt creature:* quæ operatione Dei cœperunt, suis singulæ naturis præditæ.

59. Creaturas dicimus substantias, quibus sua insita est natura.

60. Natura est nobis hîc omnis conditio seu affectio & potentia, per quam creatura suis terminata est finibus, & imbuta qualitatibus seu viribus agendi ac patiendi; unde variæ actiones & passiones, & relationes aliarum ad alias oriuntur.

61. Natura, ex analogia, fuerit res nascendo producta seu existens: sicut pictura aliquid pingendo factum.  $\phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$  autem notat tum actum  $\tau\acute{\epsilon}\ \phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ , i. e. ejus quod producit, tum actum  $\tau\acute{\epsilon}\ \phi\upsilon\sigma\iota\varsigma$ , i. e. ejus, quod producitur. Sed latè usurpatur etiam de deo, ut alibi ostendimus; ut scil. significet essentiam & proprietates Dei: & omnino quicquid pertinet ad declarandum, quid quæq; res sit.



DISPUT. II.

DE COMMUNIB. CRE-  
ATURARUM DOTIBUS EX PRIMA  
CREATIONE, ET DE CRE-  
ATURIS NOTITIÆ EXPER-  
tibus in specie.

Resp. JOHAN—FELICE COLERO Tigurino.

THESIS I.

**C**reationis definitio posita est; & natu-  
ræ iter patefactum.

2. Naturæ tamen rerum conditarū expli-  
cationem tum generalem tum specialem in  
theologiæ systemate non ingredimur: me-  
moresq; scopi nostri & finium ab initio fixo-  
rum, physicæ scientiæ id negotii relinquimus.

3. Hoc interim non est prætereundum, ut  
moneamus de creaturis, quales, & quo ordi-  
ne initio sint productæ: seu, ut brevissimè a-  
liquid attingamus de communibus illarum  
affectionib. & speciebus; ad articulum fidei  
de creatione & historiam Mosaïcam tenuiter  
saltem intelligendam.

4. Quales sint conditæ, his verbis indica-  
mus: *Et hic communis creaturarum conditio  
fuit vera bonitas in ipsis, & ad universitatem  
ordinata profectio.*

5. Duplicem indicamus perfectionem, u-  
nam absolutam in rebus citra comparationē

B & rela-

& relationem consideratis; alteram relata  
& comparata.

6. Omnes res sunt factæ valde bonæ in se-  
ipsis, id est, sic, ut omnes partes & gradus sibi  
competentis præstantiæ unaquæq; creatura  
obtineret. Tanta & talis fuit quælibet, qua-  
lem & quantam esse conveniebat.

7. Gradum illum ita metimur, ut primò  
oporteat manere perpetuum & infinitum  
discrimen inter Deum & res creatas: deinde  
etiam discrimen inter res ipsas inter se, ut alia  
supra aliam forma & utilitate emineat.

8. Hic multa sunt admirabilitatis plenis-  
sima, & nunquam satis humanis mentibus  
pervestigabilia. Vide primò, ut sit maxima  
differentia inter Deum & creaturas; & ni-  
hilominus insignis convenientia. Deus non  
potest non esse; sic est ut fieri nequeat vel i-  
pse, vel aliquid in ipso; ut mutari non possit;  
ut sit, fuerit, futurusq; sit semper & ubiq;: &  
omnia possit. At creaturæ possunt non esse;  
quum sunt, sic sunt, ut factas oporteat; ut  
mutari queant; ut aliquando non fuerint, &  
alicubi sint, alicubi non sint. Sunt tamen  
revera, & sunt ab eo, suo modo, qui est à se  
summo modo: & sunt in suis certis compre-  
hensionis ac durationis terminis, quasi pun-  
ctis quibusdam immensitatis & æternitatis,  
& aliquid possunt. Creaturarum autem alia  
magis

magis & in pluribus, alia minus & in paucioribus repræsentant Dei perfectionem. Quædam enim sunt tantum, vitæq; sunt expertia, ut terra & aqua cælum & sidera: quædam autem etiam vivunt, sed tamen cum defectu, ut nihil cognoscant, velut plantæ: quædam autem sic ut etiam cognoscant, sed sensibilia tantum & ante pedes posita, uti animantia, quæ bruta vocantur: quædam autem & spiritualia, & quidem tantum spirituali modo, ut angeli; quædam autem corporali simul & spirituali modo intelligunt, ut homines.

9. Et in his ipsis sunt gradus variegatione sua, ut ita loquamur, inenarrabiles. Quot & quanta sunt in plantis, in gemmis, sideribus, avibus, piscibus, pecudibus discrimina! Et quum hominum multitudo fuerit & sit longè maxima, annon lineamentorum faciei & vocis tanta est diversitas, ut in simillimis dissimillima sint plurima? Quid dicemus verò de ingeniorum iudiciorumq; multiplici conditione?

10. Quin imò in una parte tot discernicula reperias inesse, ut oculis plura detur cernere, quam menti in se occupatæ contingat cogitare.

11. Ipsorum oculorum quàm mira est varietas! ostrea iis destituuntur, quippe usus non erat eis; in cancris sunt detecti, in homi-

nibus nunc aperti nunc clausi; in locustis duri; in piscibus intra orbis immoti; in plurimis aliis volubiles.

12. Ita vera bonitas est in ipsis, ut ita loquar, singularum creaturarum visceribus: vera; non apparens tantum decor & utilitas; sine deformitate & noxa.

13. Ideo divinus historiographus ait; *Inspexit Deus quicquid fecerat. Ecce autem bonum erat valde. Gen. 1. 31.*

14. Etiam in creaturis est ad universitatem ordinata perfectio: ita ut nulla deficiat, quæ ad Dei gloriam enarrandam necessaria videri queat; & nulla sit quæ non queat id præstare: & ut in tribus seu classes ita sint distributæ, ut singulæ secundum suam capacitatem sint plenæ, & capaciores aliæ aliis, atq; ut alia claviculatâ quasi serie supra aliam emineat; concordissimâ discordiâ, ordinatissima dislocatione, disjunctissimâ conjunctione.

15. Hanc rem deprædicat psalmus centesimus quartus; nominatim v. 24. 25. *Quàm ampla sunt opera tua ô DOMINE; Ea omnia sapienter fecisti! quàm plena est terra possessione tua, Et Esa. 40. 12. Quis mensus est pugillo suo aquas, & cælos spithama expandit, aut complexus est trientali pulverem terra? et ponderavit statera montes & colles lancibus?*

16. Deus omnia mensura numeroq; & pon-

pondere disposuit: ut dicitur *Sap. 11. 27.* Singulæ creaturæ tantam formæ viriumq; mensuram habent, quanta iis sufficit, & Dei creatoris majestati conveniens est: tot sunt numero, quot ad complendam universi perfectionem satis sint, & abunde Dei sapientiam ac potentiam explicent. Eo verò etiam sunt librata pondere, ut aliæ medio, aliæ imo, etsi honorifico omnes, loco sint dispositæ.

17. *Creavit autem Deus alias corporeas tantum, alias spirituales tantum, alias utriusq; generis creaturas.*

18. Hoc ad admirabilem operum Dei varietatem pertinet. Solet enim dotes suas initio in plura dispergere, postea in unum colligere. Et hîc trias operans gaudet operum triade: opposita primùm in duos ordines dirimens, & deinde ea in unum colligens. Sic etiam per unionem personalem Christi factum est, ut, quum omnia quæ sunt, sint aut creator aut creatura: persona Christi hæc ex opposito divisa colligat. Est enim & creator & creatura, Deus-homo, hypostasi compositâ, scil. ex una increata & æterna, & altera creatâ & originem temporis habente natura. Hinc etiam Damascenus *lib. 4. c. 5. unam* dicit *esse hypostasin, increatam divinitate & creatam humanitate.*

19. Interdû creaturæ dividuntur in visibiles

B 3

& in:

& invisibiles: ut Col. 1. 16. *Per eum* (Christū) *condita sunt omnia, quae in caelis sunt, & quae in terra, visibilia & invisibilia.* Sed hic sermone populari visibilibus etiam homo annumeratur: et si parte sui potiore invisibilis.

20. Voluit Deus omnium possibilium species aliquas creare: quod sanē fecit, dum spiritus & corpora, & utriusq; participes creaturas condidit. Quare confectarium divisioni hoc annectimus: *ideoq; mundus est partibus perfectus.*

21. Mundus dicitur compages caeli & terrae & rerum in iis contentarum. In scripturis nōnunquam etiam *αἰὼν*, i. e. saeculum dicitur. Tit. 2. 12. Heb. 1. 2. & 11. 3.

22. Partes verō antē commemoratis plures dari nequeunt: quia ex immediatē oppositis constant. Nam omnis creatura aut est simplex seu unius generis sive naturae, aut diversarum. Quae est unius generis, aut est corporea aut spiritualis seu incorporea. Quae duae differentiae si conjungantur, alterum compositum genus existit.

23. *Tantum-corporeas creaturas hoc ordine Deus produxit. Primo quatrídno non sentientes; & quidem primo die exordia, aquam, terram & lucem: secundo caelum aqueum nubi-ferum creavit: tertio, aquis in sua conceptacula collectis, terram secrevit, & ex ea terrestres plantas germinare fecit: quarto stellas lucidas*



*lucidas in cœlo condidit. Sentientes reliquis*  
*duobus diebus: ut quinto natatilia in aquis &*  
*volatilia in cœlo: sexto repentia & gradientia*  
*in terris animalia.* De his cognoscendum  
 est cap. 1. & 2. Genes., universæ divinæ & hu-  
 manæ sapientiæ vena.

24. Possunt corporeæ creaturæ varié dis-  
 tingui. Sunt enim aliæ inanimatæ, aliæ ani-  
 matæ. Inanimatæ dicuntur primò cœlum,  
 stellæ, elementa, & imperfecte mista, quæ  
 meteora & metalla iisq; cognata. Animatæ  
 sunt plantæ & animalia. Aliter: quædam ca-  
 rum tantum habent essentiam, ut aqua, terra,  
 lux, cœlum, stellæ: quædam vitam solitariam,  
 ut stirpes; quædam etiam sensum, ut anima-  
 lia bruta, &c.

25. Ex Mose nos dividemus corporeas cre-  
 aturas in primas & ortas. Primæ sunt ob-  
 scuræ, ut aqua & terra; vel lucida, ut lux. Or-  
 tæ primis per analogiam respondent; duplici  
 ordine, stupidæ scil. & sentientes. Stupidæ  
 illæ sunt primò cœlum aqueum, h. e. expan-  
 sum ex aquis eductum, dum factæ sunt subti-  
 liores; in quo expanso etiam nubes consti-  
 tutævolvuntur: & secundo plantæ, quæ e  
 terra germinare sunt jussæ, & sunt terrestris  
 naturæ: tertio autem stellæ, lucidæ conditi-  
 onis. Sentientes sunt, quæ primò in aquis in-  
 feriorib' degunt, ut quæ natatilis generis; vel

in superiorib<sup>9</sup> q. remigāt, ut quę ordinis volatilis: deinde quę in terris repūt & gradiuntur.

26. Classes has tres in divino historiographo meditamus & observamus, quę evidentie causa sic proponantur in *ουσιχία*, ordine tripartito.

I.	II.	III.
AQUA.	Cœlum A- QUEÆ natu- ræ & nubes. <i>die 2.</i>	Pisces in AQUA infe- riore: volucres in COELO. <i>die 5.</i>
TERRA.	Plantæ in TERRA. <i>die 3.</i>	Animalia terrestria, quę in TERRA repunt & gradiuntur. <i>die 6.</i>
LUX. Hæc tria or- bis aspectabi- lis fundamen- ta locata sunt <i>die 1.</i>	Stellæ Luci- FERÆ. <i>die 4.</i>	Et hîc hominis cor- pus, quod animale, e TERRA factum est.

27. In hac *ουσιχία* omnia sunt triplicata; exceptâ luce. Nam primigeniæ luci respondent sidera: & tertia columna est vacua. De eo sic cogitam<sup>9</sup>. Meliori luci corporali, quàm stellę erant, condendę locus non erat. Quare, post considerationem corporeæ & animalis, quę in homine est, nature, transeundum fuerit ad spirituales lucem, quę est duplex, anima rationalis in homine; & angelus. Hæc enim lucidissima Dei sunt opera.

28. Nunc

28. Nunc de merè corporeis, secundum historiam divini prophetae paucis agemus.

29. Opera primi diei sunt aqua, terra & lux: ex quibus lux postrema condita est; aqua autem & terram simul producta.

30. *Aqua* & terra initio fuerunt commistae; in mediis, ut videtur, aquis terram velut sepultam. Est autem aqua humidum & fluxum elementum; i.e., ut hic vocem intelligi volumus, corpus primigenium est nihilo factum. Hebraeis est מים majim voce geminum quid significante seu duali, propterea quod aqua duplices sunt superiores & inferiores: etsi verbo quoque singularis numeri jungatur Lev. 11. 38. Putatur dici ab ממה hamah, quod est tumultuosè commoveri: ut Graecis φλοῖσβος de tumultu, quem aqua cient, dicitur. Quia vero מים mavi in Chaldaicis influendi significatione notant, forte vetus verbum fuit מים mavah vel מים majah; cui affine νεω fluo & νεω, no, nato; Et hinc hodiernis Graecis νεω pro aqua. M & N, sono, scriptura, & organo conveniunt: unde frequens est Chaldaeis pluralia in M mutare in N. Graecis ὑδωρ & τὸ νεω dicatur, quod est pluere, rigare, humectare: Et inde est Germanicum Watevi q. Wybor: ut Slavonis vicinior sonus est Woda. Superiores Germani & in sibilum vertentes fecerunt Wasser, unde waschen lavare, per aquas ducere. Latinis aqua ex eo nomen habet, vel quod facile agatur, cui etymo vicinior est Hispanorum scriptura agua: vel quod aqua sit summa, αἰκῆα. αἰκῶσ enim Doribus προεικῶσ est aquis.

31. Terra est siccum in se, & suam naturam consistens elementum. Ideo etiam arida & terra eadem est. Gen. 1. 9.

Terra Hebraeis vocatur ערצ eretz: vel ארץ aritz. i. e. currere, quia sicca, est, in ea currunt animalia:

vel à ארץ iudæiv, quòd placeat visui ob ornatū: vel potius à ארץ terere, quia teri at friari potest. Et pari ratione à lacinis terra dicatur. Et χθών affine est τὴν γῆν i. e. terere. Græcis autem ἔργα, quod est merè Chaldaum ex ארץ ארא, factò ex ארץ, quia inter se commutari solent & ארץ ob figuræ vicinitatem. Usitatius autem est γῆ, ex γένεσι contractum, quia est mater generationis, cuius velut pater in natura est sol. γένεσι enim inusitatum est generare. Sic tellus à tollendis seu ferendis rebus videtur nuncupata. Germanicum Erde à Græco ἔργα est, unde ἔργα ad terram ἔργον inferius: sicut ארץ Chald. infra ארץ. Sic enim malumus, quàm hoc ab illo ducere. ארמה propria est humus rubra: humus autem irrigata per ὑμῶν i. e. humorem: ἔσθ' culta terra, πολλὰν, πόλιν, unde Slav. polje ager: Land / terra λήιον i. e. fruges ferens.

32. De luce primò die condita disputatur, quid fuerit, substantia an accidens: & an substiterit verè in se immutabilis, usq; ad conditum solem, vel primis singulis triduis novissit producta: & quò pervenerit postea.

33. Omnem Dei creationem iudicamus ferri ad substantiam, ut terminum: ideoq; lucidum globum fuisse existimamus, aquis exterioribus appositum, qui in orbem moveretur, & aliam partem massæ aqueæ post aliam in gyrum actus illuminaret. Neq; quicquam obstat, si superiore sui parte à vacuo, ut sic loquar, est ambita; sicut nunc extimum cælum: & si lux promota locum post se vacuum reliquit. Ideo eandem numero lucem fuisse primo, secundo & tertio die, cum vulgo sentimus. Quarto die, lux materiam sideribus videtur

videtur præbuisse: etsi fortè non absurdè quis opinetur, unam lucis partem in sidera translata esse, alteram autem per cœlum supremum dispersam in beatorum sedibus perpetuam esse: ut & hæc non immeritò lux illa inaccessa dicatur, nempe extra hunc visibilem mundum subducta.

34. Lux illa ubi splenduit, ibi dies fuit etiam ante solem conditum: unde aberat, ibi fuit caligo & nox; & quidem, quæ caligo lucem antecessit, mera lucis negatio. Alioqui tenebræ dicuntur privatio lucis in subiecto habili.

35. *Ceterum lux Hebraeis dicitur אור, unde ὄρος Sol Egyptiis, jam lucis scaturigo: Græcis φῶς à voce φαίω i. e. luceo: Latinis lux ὡς τὴν λύχην, quæ propriè est lux prima solis ortum præcedens: aliter λυγέφως. Hinc ἔλυγες pro sole ἔλυγέβας pro anno, referente Macrobo. lib. 2. Satur. cap. 17. Ex eo autè λύχην dici videtur, quia λύει vel λύει i. e. luit hoc est dissolvit vel purgat, vi subtili, ignea & penetrabili. Et hinc fortè etiam Anglis bright lucidum, quia lux frangit, seu perfrumpit facile sua subtilitate. Brechen enim (illis breake) est frangere, solvere, λύει. Quia lucet, Germani liecht nominarunt.*

36. Hic est primus dies; sicut Moses ait ex vespere & mane i. e. die & nocte artificiali, factum esse diem primum, scil. naturalem, νύχθημερον ex xxiv. horis.

37. Secundi diei opera sunt expansum seu cœlum, & aquæ superiores seu nubes.

38. *Expansum* vocatur subtilis illa velut aqua flabilis, quæ à terra stabili & aqua nabili usq;

usq; extensa est ad extremum universi convexum: aqueę nempe molis parte una rarefacta & in aërem conversã. Non ipsum spatium (sua natura vacuum, at impleri pote) sed id quod in spatio est, expansum dicimus; quicqd scil. apud philosophos aëris & etheris nomine venit, cælo etiam supremo nõ excluso; quod & ipsum inter corporea, etsi subtilissima consensimus.

39. Hebrais dicitur יִקְרָאִיחַ *raqiah* q. *ῥαβδος*, ut quum aliquid molle, ductile, aut liquidum extenditur, distenditur aut dilatatur, quasi velum aut bractea, ἑλασμα seu lamina. Hujusmodi extensio de cælis dicitur. Ps. 104. 2. Esa. 40. 22. & 42. 5. De vi vocis vide Exod. 39. 3. Num. 16. 38. Jer. 10. 9. De terra etiam dicitur Esa. 42. 5. Græci στεγνώμα; & hinc Latini, & alii hos imitati, firmamentum vocarunt, vi vocis non satis expressa: et si firmum dici queat, quod non atteratur vel absumatur. Recentiores expansum, extensionem, distensionem, *aufstehung* & *ausspreitung* verterunt. Notatur eo, non esse durum ferri instar aut glaciei, sed λεπτομεγές seu subtile, atq; ideo corporibus solidis cedens.

40. Aliter vocatur cælum Hebrais שְׁמַיִם, *schamájna*; quod volunt dici vel quasi שְׁמַיִם *schám májim* id est, ibi aqua: vel tanquam שְׁמַיִם אֵשׁ *esch u májim* i. e. ignis & aqua, quod ex horum commissione Deus fecerit cælum. Est numeri dualis propter duplex hemisphaerium. Ex analogia singulare fingitur שְׁמַיִם *schám*, quod malumus ducere á שְׁמַיִם *schám* i. e. desolari, inane esse; quia, quum id nominis acciperet die secundo, erat vastissimum inane. Sic vocetur ad differentiam à terra, que sensibiliter implet spatium. Sanè sic etiam Latini aërem inane vocant: ut longum inane Lucretius, magnū inane Virgilius. Est etiam שְׁמַיִם *schám* obstupescere, admirari.

Et verò

Et verò coelum est stupendum & admirandū opus. Græcis ἀέρος, Doricè ἀερονός; quod Chaldaeo ܐܪܝܢ orin est vicinius sono & convenientia aliqua significationis, quam ulli vulgatorum etymorum. Lumina enim notat, quibus nunc coelum est collustratum. Et Græcis Chaldaea hic patria est. Latinis cœlū est q. κῆλον concavum, cuiusmodi apparet: τὸ κῆλον cavus recessus. Veterib. etiam cœleis, unde hi cœli. Erat etiam pro cœlo covum, puto q. cavum; unde Covella, Juno caelestis. Et hinc superest vox Hæven i. e. liquidum cœlum, Saxonib. nonnullis: & Anglis notissimum, ac pro cœlo propè solum, heaven. German. Himmel q. ὁμοίων, ut reor, quia scil. omni ex parte intuemur id æquale, nusquam confragosum: aut quia sunt ὁμοίαι αὐτῶν τάξεις i. e. equabiles ejus ordines: aut quia ὁμοίᾳ i. e. concors, concordi lege in eo cientur omnia; unde & Jupiter apud Thebanos ὁμοίᾳ vocabatur, à concordia: aut ob ἀστέρων ὄμιλον i. e. stellarū multitudinem. Slavonis nebe, nebo, nebu, à nubibus: sicut Hebraicè שָׁחַח scháchaq interdum cœlum, propriè autem nubes superiores, tenuissimas & subtilissimas significat. Sic Ungar. meny q. minutum, μινυόν, subtile: vel à perpetuo motu corporum, quæ sunt in eo. Menés enim illis est metus, itio, quum res q. minatur i. e. ducitur.

41. Secundo etiam die aquæ sunt divisæ in superiores & inferiores. Inferiores autem, quæ alveis terræ includuntur, non dicimus tunc creatas esse, sed tantum superiores, per quas intelligimus nubes, posthabitis aliis fabulis & opinionibus, quarum in hoc toto argumento est immensa copia. Nubes enim certè sunt aquæ desuper expanso, ut sonat propriè phrasid divini historiographi. Conferantur cum cap. 1. Gen. v. 7. Job. 26. 8. Ps. 104. 3. & 147. 8. & 148. 4. Jer. 10. 13. Et hanc sententiam laudat Augustinus lib. 2. cap. 4. de Genes. ad liter.

42. Ita duobus modis aquæ globus imminutus fuerit, primū cæli conditu, deinde suspensione nubium in eò factâ.

43. Nubes in historia creationis non nominantur. Usitate nubes Hebraicè dicitur ܐܪܝܢ hanan: Græcis νεφέλη, νεφέλη, vel

☉, vel quia ὕψος i. e. non lucet, per se obscura; uti ἕ  
Danis (ky q. οὐρά i. e. umbra, quam affert; vel quia νεφέ  
φει i. e. ningit, vel irrigat humum. Latinum est à nubes  
quod est obtego, ut aliquid νεφέσιν obtegitur. Germanis  
Wolckel q. volucris, quia volat in aere.

44. Tertiū diei opus sunt stirpes, & quæ eis qua-  
damten<sup>o</sup> affinia sunt, ut metalla, & quæ his cognata.

45. His creandis præmissa est præparatio per  
aquarum congregationem in suos certos alveos,  
majores ac minores: & per terræ arefactionem,  
ubi certæ continentis & insule constitutæ sunt; de  
quibus in geographicis docetur.

46. Stirpes verò seu plantas quum dicimus, intel-  
ligimus τὰ φυτὰ, quæ vitam habent stupidam, ut  
herbæ ac arbores. In has enim species ex Mose suf-  
ficienter distribuuntur. Philosophi distinguunt in  
herbas, suffrutices, frutices & arbores. Herbæ cau-  
lis hyeme perit, ut pæoniæ, petroselini &c. Reli-  
quarum plantarum caulis manet; at suffrutex est  
pumilus, ut salvia; frutex mediocris ut rosa; arbor  
magno & lignoso caudice assurgit, ut oliva.

47. Ex dictis patet, paradisum plantatum esse die  
tertio. Fuit autem in Edene, quæ pars Chaldææ e-  
rat amœnissima. Esa. 37. 12. Ezech. 27. 3. & 28. 13.  
Sed de hoc consulendi sunt plenius geographi.

48. Stirpibus datum est, ut sua virtute nutriri &  
in omnem dimensionem augeri queant: & sibi si-  
mile procreare; vel per semen, vel surculum, vel o-  
culum, vel viviradicem.

48. Planta pro stirpe est Heb. **יָבֹשֶׁת** *nétah*, vel **שִׂיחַ** *siach*,  
Græcis **φυτὸν** à nascendo, quod est **φύειν**. Planta, ut vi-  
detur, dicitur, quia **πλανᾶται** i. e. errat per humū, se ra-  
dicibus & scapis caule aut caudice ac ramis extendens.  
Germanis **Gewächß der Erden** quia **συνάνασσει** i. e. coo-  
lescit in terra. Ge enim est ut com **ἔ** wachsen ab **αὐτῶν**  
vel **veges** i. e. vegetus.

52. Metala



30. Metalla, gemmæ, & mineralia cum plantis con-  
dita opinamur, multis ad vitã recte & compendio de-  
gendam, & ad medicinarum commoditates insigni-  
bus pollentia viribus: in visceribus terræ quasi nobis-  
sem succum exsudantis nunc etiam nascentia.

31. Gemma Hebrais est יקרן אבן eben jeqarâh i. e. la-  
pis preciosus: sic Græcis λίθος τιμωτός, Slavonis drabyn tamen  
iisdem modis. Germanis edelgestein / q. nobilis lapis.

32. Minera vel mineralia, à minis dicuntur, Gallorum vo-  
cabulo. Illis enim mine, & miniere, ut Italis minera, est vena  
metallica: unde etiam in nostratam linguam transit mi-  
niren cuniculos agere, in re metallica & bellica, nempe à mi-  
nando, i. e. ducendo, veterib' latinis noto verbo, unde reman-  
sit adminiculum & Gall. mener i. e. ducere. Et in vers. la-  
tin. Bibl. Tigur. Ad aquas tranquillas me minat Psal. 23. 2.  
Est autem mine velut terra ductus, ut aqua ductū dicimus.

33. Mineralia verò vocantur latè voce metalla, & quæ  
his quoquo modo propinqua, ut sunt vitriolum, sal  
fosfile, alumen, terra lemnia, creta, &c.

34. Quarti diei opus sunt stella, in expanso colloca-  
tæ, ad lucem afferendã terris, & ad eas variè motu po-  
sitiq; suo afficiendas. Ex his autem præcipuè sunt  
sol & luna. De varietate & discrimine earum consu-  
lendi sunt physici & astrologi.

35. Stella Hebrais vocatur כוכב cochâb: quæ vox componi vide-  
tur ex כוה urere, & כבה exstinguere, quia per vices lucent & extin-  
guuntur i. e. exstingui videntur; majore diurno lumine min' obscuran-  
te. Hinc & Chald. כוכבא fenestra, quia lucē, cujus vis est ardens,  
infert. Græcis est ἀστὴρ, ab ἀσπиро, quia q. spirat ex se lucem. Et  
hinc Germanicum stern (Belgis proprius sterre) abjecto a. Gaudemus  
enim vocum decurtationibus. Latinum stella à stando duci solet, quod  
stare videatur: aliis quod sit stilla luminis. Stella est singularis seu  
unica: Sidus autem ex pluribus stellis compositum, quod quasi fidat  
Græcis ἀστὴρ.

36. Soli est dominiū diei attributū: lunæ autē noctis. Secun-  
dum illū dies & annos, secundum hanc menses numeramus.

37. Usus stellarum à Mose hi nominantur: I. ut distinguant  
inter diem & noctem, evidentissimè seu apertissimè scilicet &  
distinctissimè, perpetuis secundum naturam vicibus. Id enim  
lux pri-

In primo die condita non erat præstatura. II. ut sint in signa quæ scilicet motu solis & aspectu suo de multis rebus humanæ vitæ salutaribus commonefaciant: ut ex illis animadvertantur eventus naturales, defectus & accrementum luminis, tempestates, æstus marium &c. Sic indicant tempora civilia sementis, messis, cædendæ materiæ &c. Etiam significant Dei beneficia & iudicia. III. ut sint in tempestates, ut scilicet quadrantes anni definiant, ver, æstatem, autumnum, hyemem: qui singuli sunt trimestres. IV. ut sint in dies, & eorum spatia limitent, quod sol evidentissimè facit ortu & occasu suo. V. ut sint in annos, & eos ad certam temporum rationem designent; quod maximè & clarissimè sol facit suo per signa duodena transitu. Cum annis menses intelligimus, quorum singuli sunt anni pars duodecima.

58. Sol usitatissimè Hebræis dicitur שמש schèmesch à ministrando (quod שמש schimmesch) quia Dei minister in natura clarissimus: aliter à calore חמה chammáh. Græcis ab ἔλας, i. e. splendore, ἡλιος. Hodiernis Græcis φωσφαις i. e. lux. Latinis sol a solas i. e. splendor, fulgor: quod Dani retinent soel. Et hinc una litera mutata nostrum sonn: nisi malimus à שנה schanáh (mollius sanáh) quod est Hebræis annus, deducere: cuius scilicet est designator. Slavonis slunce q. solunce, aperta est originis.

59. Luna Hebræis est לבנה lebhanáh, à candido lumine: quia לבן est candidus. Græcis σελήνη τὸ πέλαος, quod est fulgor; Latinis luna à luceo. Hodie Græcis φεσφαις à φεσφαις, quod est lux, lumen. Germ. moon, Saxonice maen à μωνη, Dorice μάνα: unde & atmanach voce hybridâ, ab al articulo Arabico qui nominibus præponitur; & μὲν mensis, quia est libellus μνησίου, qui mensium singularum particularem descriptionem habet. Bohemi Græcum μεις, quod mensem notat, in voce mesyc apertè restitunt.

60. Stella (si de iis universè loquamur) sunt errantes vel fixæ. Errantes saturnus, iupiter, mars, sol, venus, mercurius, luna. Fixæ vel in Zodiaco sunt, vel extra eum ad utrumq; polum. Job. 9. 9 mentio fit arcturi, qui 11. dieb. ante æquinoctium autumnum oritur & dimidiam anni partem terminat; & Orionis, qui mense decembri nobis conspicuus est, & usq; ad vergiliarum ortum; & plejadū (ea vergilie) quæ cum vere orta durant ad autumnum: & penetratium austru i. e. austro penetratium, h. e. à nobis abscondito ad polum antarcticum. Vide etiam Job. 37. 9. v. 38. 31. Amos 5. 8.

DISPUTAT. III.  
 DE CREATURIS NOTITIA  
 SIMPLICI PRÆDITIS; BRUTIS  
 SCIL. ANIMALIBUS, ET  
 ANGELIS.

Resp. ANDREA LISINGIO Embdano.

THESIS I.

**V**idimus in operibus quatuor dierum creaturas sensu nullo præditas: nunc ad sentientes, ex ordine per Dei historiographum ostenso, deducimur, in quinto & partim sexto die.

2. Ipsarum rerum naturas philosophiæ naturali explicandas relinquimus: nos tantum creationis ordinem/ex Mose referemus/ & de summorum generum nominibus aliquid φιλολογήσομεν. nec ab re, quia reb. conditis partim Deus ipse nomina imposuit/partim per Adamum imponenda curavit/& rerum naturæ in se, & sapientiæ in ipso cōvenienter.

3. Quinti diei opus sunt aquatilia, ut pisces & quæ ejus generis reptilia/itemq; volucres. Pisces ex aquis inferioribus/ volucres ex aquis superioribus conditas esse existimamus.

4. Piscis Hebræis est דג from multiplicatione, quoniam דג is multiplicari, augescere magno numero; unde etiam tractum videtur nostrum דגני / nisi

nisi potius  $\omega\sigma\gamma$  τὸ δένειν, i. e. irrigare, quia irrigata crescunt. Est enim animal fecundissimum piscis, quum unus interdum quasi mille seminibus gravidus inveniatur. Et sic *piscis* ab alio Hebræo affinis notionis verbo flecti potest; nempe á  $\psi\beta$  i. e. abundare, augescere, multiplicari:  $\psi\beta$  abundantia. Et hinc á voce *piscis* facile vernaculum *fisch*. Græcis *ἰχθύς* est quasi *ἰχθεὶ θύων*, i. e. ὀρμῶν, quia vestigiis properat. Est enim animal ὀρμητικόν, velocissimé in aquis se movens. Inde etiam vulgatis Græcis *piscis* videtur *ψάρον* dici, q. *velox*. *ψαρός* enim, *λαμπρός*, mobilis, agilis est. *Рыба* Slavonicum á rivo vel, si mavis, á  $\beta\beta$ , multiplicari, ex causa dicta. Ungaricum *hal* ab *αἶλι*, i. e. mari tractum est. Pisces enim sunt rivales, quo sensu *haleculam rivalem* Columella dixit; & sunt marini.

5. *Reptilia* alia sunt aquatica alia terrestria. Illa cum piscibus intelligimus, qualia reptilia sunt conchyliæ, conchæ, stellæ marinæ &c. Reptile hoc Hebræis est  $\psi\beta$ . Est autem  $\psi\beta$  celeriter se motare in aquis; ut Latini in hoc genere dicunt *repente*. Græcis *ἑρπετόν*, ab *ἑρπω*, unde Latini duplex verbum fecerunt *serpo*, & *repto*, *εἰς ἑχέην* á *corrúgo* tractum videtur. Nam quæ serpunt, feré se corrugant procedendo, ut erucæ, campæ: *raupen* etiam á *rependo*. *Kraupen* (Belgis *eruppen*) auté est á *corrépo*, quod Angli manifestiús exprimunt, quibus *reperere* est *crep*. Pisces reptiliú nominemóses *Ge. 1. 20.* intelligit, quia ibi *reperere* est celeriter se in aquis movere.

6. *Avis* affini voce Hebræis  $\psi\beta$  dicitur á volando. volare illis est  $\eta\psi$ , unde facile deflectitur *avis*. Græcis ὄρνεον, ut videtur, ab ὄρνυμαι, concitus feror. Est enim volatus motus vehemens. Sicut in inferioribus aquis pisces, sic in superioribus aves veloci-

velociter moventur. *Voget* est quasi *vocalis*. *Canō*  
 ræ enim sunt aves. At (quamvis ex Germanico cor-  
 ruptum) Anglicum *foule*, & Danicum *fule*, propius  
 refert *volatum*. Polonis & Bohemis *pták* avis est ἀ  
 πτήναι volare.

7. Sexti diei opera, si meré corporea spe-  
 ctes, sunt pecudes, reptilia terrestria, & bestię.  
 Pecudes hęc sunt mansueta animantia, cum  
 homine versantia, sive herbis sive carnibus  
 victitantia; ut elephanti, boves, equi, asini,  
 porci, canes, feles, & alia id genus. Reptilia  
 quæ repunt in terra sunt ἀποδα, i. e. sine pe-  
 dibus, ut serpentes; vel βραχύποδα, brevibus  
 pedibus ut lacertæ, rubetæ, formicæ & s.  
 Bestiæ sunt, quæ ferinam habent naturam;  
 ut cervi, damæ, lupi, vulpes, lepores, & s.

8. Quæ Moses *Genes. i. vers. 24, 25.* vocat  
 בְּהֵמָה רֹמֵשׁ הָאָרֶץ הַחַיָּה לְאָרֶץ LXX. verterunt  
 τὰ κτήνη, τὰ ἑρπετὰ τῆς γῆς, καὶ τὰ θηρία τῆς γῆς.

9. *Pecus* Hebræis est בְּהֵמָה; quæ vox nullam  
 apertam originem habet, unde de natura rei ali-  
 quid colligi queat: nisi syllabam מָה dicamus  
 paragen esse derivationis, & thematis loco po-  
 namus בְּהוֹ quod est inanitas, quod pecus sit ina-  
 ne nempe rationis, ἀλογον. בְּהוֹ autem videtur es-  
 se a בְּהָה, quod opinamur fuisse in usu, quum  
 בְּהָה verbum sit suspirare, quod in *Bereschith rabbâ*  
*cap. 2.* usurpat Rabbinus. Nimirum sicut inane  
 dicitur בְּהוֹ, quod sit stupendum, & sola sui con-  
 templatione in stuporem abripiat hominum  
 animos, quum בְּהָה sit obstupescere & admirari

affine voci תַּוּה trepidare perturbatione Dan. 5.  
 24. sic idem nominatur וְהָב quod suspiraret, i. e.  
 velut appetat aliquid quo impleatur. Το γὰρ κενόν  
 ἐφίσταται πληρῆσαι. An verò potius à suspirando,  
 quasi clamando, ut βῆς bos, ὡρᾶ τὸ βοᾶν boare,  
 quia est animal clamosum. Cui affine est tub  
 vacca, si ducatur à נַעַק Chaldaeo, quod est clama-  
 re, unde & עֵיק guttur, clamandi organum. Et  
 vacca q. βοϊκή vel βοειακή. Βοιῆς enim vel βοειακῆς  
 est bubulus. Βοῆμα (ex analogia clamor) & הַמָּהָב  
 sunt affinia. quanquam & ceva vaccæ genus sit.  
 Græcis pecus vocatur ἱρέμμα ὡρᾶ τὸ τέθειν, quia  
 domestico cultu é terræ pabulo alitur nostri alen-  
 di causa. Aliter βόσκημα, quod pascatur. Βόσκειν e-  
 nim est pascere: κτήνη verò est ὡρᾶ τὸ κλάσαι,  
 quod sit possessio antiquissima. Sic & Hebræis  
 הַקָּמָה pecus est, הַקָּמָה verò possessio. Sic pecus  
 & pecunia latinis vicina sunt, quia, ut habet glos-  
 sarium, pecuniæ sunt κτήματα ἀπὸ τιμῆς κτηνῶν. Pecus  
 verò propriè est animal habens πέκος, i. e. vellus,  
 pellem, quæ solet πέκεσθαι, i. e. tonderi. Latius post-  
 ea ad omnia mansueta, nonnunquam etiam fera  
 trahitur. Hic apud Mosen in specie pro cicuri-  
 bus animantibus ponitur. Nobis dicitur *vehel*  
 quod à *vehendo* flectimus, ut propriè significet ju-  
 mentum, quo ad iuvandos labores suos utuntur  
 homines, ζῶον φορτοφόρον; sicut Latini pari ratio-  
 ne *veterina* vocant animalia vecturæ idonea; quasi  
*veheterina*, vel *vecterina*. Hinc Festus ait: *Vete-*  
*rinam bestiam jumentum Cato appellavit à vehendo.*  
 Et in glossis, *Veterina bestia, ὑποζύγιον.* Danicum  
 queq; pro pec, *pecus* dici videtur. Bohemis *howado*  
 suntum ex Græco iudicamus, quasi ὁ βοτός. Nam τὸ  
 βοτόν est pecus à βόω, unde βόσκω, pascō.

30. *Reptilia terra* dicuntur ad discrimen eorum, quæ repunt in aquis, de quibus 4. *thes.* dictum est. **רמש** propriè est repere super terram: & eam **רמוס**, i. e. calcare aliquantum. Animalia autem quæ se antrorsum movent, ea aut impellunt se pedibus, ut gradientia, vel alis, ut aves: aut repunt seu trahunt se in partem anteriorem, & quidem alia vi oris ut vermes, alia vi ventris & costarum, ut pisces, alia vi brevium pedum, ut lacertæ & stelliones, &c.

II. Bestia Hebræis dicitur **חיה הארץ** q. d. *animal terra*, quòd in terra scil. non habitata degit. **חיה** alioqui generale nomen est, à vita ductum, sicut Græcis ζῷον ὡς τὸ ζῆν. **חיה** enim est vivere. Et sic Slavonis *shivina* à *shiv* vivus, quòd à ζῶν factū est. Propinquius Bohemi *živocih* scribunt à *zive* vivum. Ungari circumscribunt *elo allat*, i. e. vivens substantia. sicut Angli *a living creature*. Germanis est *thier* à *thig*, pro quo Ionibus est *θηρ*; unde *fera*, quam hîc per bestiam intelligimus. Bestiam autem in genere omne animal rationis expers Latini dicunt. Hinc Tullius V. Tuscul. quæst. ait: *Facilius in bestiis, quòd his sensus à natura datus est, vis ipsius nature perspicitur potest. Nam alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit, alias volucres cælo frui libero, serpentes quasdam, quasdam esse gradientes, earum ipsarum partim solivagas, partim congregatas, immanes alias, quasdam autem cicures, nonnullas abditas terrarumque tectas: atque earum quæque suum tenens munus, quum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege nature.* Et I. de natur. deor. *Bestiarum, inquit, terrena sunt alia, partim aquatiles, alia quasi ancipites, in utraque sede viventes.* Bestia autem videtur dici q. *bestia*, à *bos*, quod est à βῆς: nempe genus à specie notissima.

12. Hæc omnino de creaturis corporeis / tum notitia destitutis, quæ primis quatuor diebus cōditæ, tum notitia præditis animalibus brutis, aquatilibus / terrestribus: sequitur nunc de creaturis spiritualibus tantum / & de mistis ex corporea & spirituali natura, quæ universæ notitiâ sunt instructæ singulari supra bruta; at angeli simplice, composita homines.

13. *Creaturas tantum spirituales eas Deus condidit, quæ vocantur angeli.*

Angelorum nomen Græcum est. ἄγγελος enim est nuncius, ἄγγελος τὸ ἀγγέλλειν nunciare, quod putant dici q. ἀναλέγειν, referre, ἀ λέγω dicendi significatio- ne: nisi potius ἀ ἄγγ unde ἄγγη annunciare, ἄ in / verso, quæ ipsæ etiam literæ sunt affines, ut in δάκρυμα, lacryma. Hebræis est ἄγγל, quod ductum est ἀ ἄגל, quanquam id nusquam legatur, & vertunt legare. Fortè rectius per metathesin & levem metabolen ab ἄגל ambulavit, vel ἄגל ambulabo. Græcum nomen *angeli* Europææ gentes ferè retinent, nisi quòd id inflectant ad terminationem suam. Et Galli id ἀγγελόπλοτες dicunt *ange*, Germani a in e mutato *engel*.

14. Per se igitur hoc nomen non est naturæ, sed officii. Et tribuitur Christo / spiritibus creatis & hominibus. Christus vocatur angelus DOMINI, quia Pater eum misit ad defendendam & liberandam ecclesiam. Hic est angelus federis & gratiæ, quod ἀγγέλλει, i.e. annunciat. *Malach. 3. 1.* De hoc vide etiam

*Gen.*



Gen. 16. 7, 9. & 22. 11., 15. & 24. 7, 40. & 37.  
 11. & 48. 16. Exod. 14. 19. & 23. 20/23. & 32.  
 34. & 33. 2. Sic Num. 20. 16. & cap. 22. Judic.  
 6. Eccl. 5. 5. Esa. 63. 9. Hof. 12. 4, 5. Et Zach.  
 cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. apoc. 7. 2. & 8. 3, 4, 5.  
 & 10. 1, 5, 8, 9, 10. Idem etiam aliquibus di-  
 ci videtur archangelus / quia angelorum est  
 princeps 1. *Theß.* 4. 16. Homines etiam in-  
 terdum vocantur angeli, i. e. nuncii divinæ  
 voluntatis; ut sacerdos ordinarius *Mal.* 2. 7.  
 Johannes baptista *Mal.* 3. 1. doctores eccle-  
 siarum *apoc.* 1. 2. & 3. passim autem de spiri-  
 tibus creatis / altera creaturarum rationalium  
 specie, in scripturis accipitur / & quidem bonis  
 frequentissime; malis etiam. sed hic raro sine  
 additione nudè vocantur angeli / ut 1. *Cor.* 6. 3.  
 Nos hinc autem de bonorū & malorum dis-  
 crimine nondū agimus, sed tantūm de eorum  
 creatione / per quam omnes fuerunt boni.

15. Sunt verò varia angelorum nomina, ut  
 spiritus *Luc.* 24. 39. stellæ lucidæ *Job.* 38. 2.  
 principatus, potestates &c. *Rom.* 8. 38. *Eph.*  
 1. 21. & 3. 10. &c. De specialibus quibusdam  
 bonorum & malorum appellationibus infra  
 ad cap. 4. agetur.

16. Hinc nunc ad ppositum theorema / de-  
 monstrandum est, angelos verè esse, & esse  
 substantias / & quidem spirituales tantūm / &  
 esse eos à Deo creatos, & quales sint conditi.

¶ 17. Veré sunt angeli. Nam I. scriptura sacra eorum meminit creberrimé. 2. & experientia eos esse docet. 3. ideóq; etiam gentilis vetustas esse credidit.

18. Non autem hominum cogitationes aut mot<sup>o</sup>/angelorum nomine intelliguntur; sed angeli sunt ἰφισάνθρωποι seu veræ substantiæ. Nam I. nomina personarum eis tribuuntur, dum nuntii & ministri Dei <sup>a</sup>/ filii Dei <sup>b</sup>/ custodes <sup>c</sup> & vigiles <sup>d</sup> vocantur. II. Sunt creati á Deo <sup>e</sup>. Creaturæ autem Dei proprié dictæ sunt substantiæ. III. Tribuitur illis intellectus, voluntas, agendi potētia <sup>f</sup>; *ut mox sequetur*. IV. Et actiones ac passiones personis competentes/de iis dicuntur; ut loqui <sup>g</sup>/locū mutare <sup>h</sup>; & de bonis, Deo & Christo servire <sup>i</sup>/coram Deo stare <sup>k</sup>/lætari conversione hominum <sup>l</sup>/ignorare diem iudicii <sup>m</sup>/videre faciem Patris in cœlis <sup>n</sup>/nos illis in altera vita similes fore <sup>o</sup>: ut de malis/peccare, damnari. P. Et Sadducæorum hic error in scripturis reprehenditur/quód dicerent, nō esse neq; angelum neq; spiritum, <sup>t</sup>. <sup>a</sup>. Ps. 103. 21. & 104. 4. <sup>b</sup>. Job. 1. 6. & 2. 1. & 38. 7. <sup>c</sup>. Ps. 91. 11, 12. <sup>d</sup>. Dan. 4. 10, 14, 20. <sup>e</sup>. *thesi* 24. <sup>f</sup>. *thesi* 19. & 5. & Gen. 18. & 19. Heb. 2. 2. <sup>h</sup>. Gen. 19. 17. <sup>i</sup>. Dan. 7. 10. Matth. 4. 11. <sup>k</sup>. Dan. 7. 10. <sup>l</sup>. Luc. 15. 10. <sup>m</sup>. Marc. 13. 13. <sup>n</sup>. Matth. 18. 10. <sup>o</sup>. Matth. 22. 30. P. 2. Pet. 2. 4. iud. 6.

19. Porro angeli non sunt corporei/ neq<sup>ue</sup>  
 ex corporea & spiritali natura misti, sed tan-  
 tum spirituales, h. e. ἀσώματα & ἀνάσθητοι  
 non cadentes sub sensum; νοεροί, βεληληγοί,  
 ἐνεργηληγοί, i. e. intelligentes, volentes & a-  
 gentes. Hinc I. spiritus nominantur. *Heb.*  
*1. 14. Nonne omnes sunt λειτουργικά πνεύματα,*  
*ministerii spiritus?* Unde ἀόρατα, i. e. in-  
 visibiles etiam dicuntur *Col. 1. 16.* Spiritualis  
 & velox, munda ac penetrabilis eorum virtus  
 indicatur *Pf. 104. 4.* & *Heb. 1. 7,* ubi de an-  
 gelis dicitur; *Angelos suos facit ventos & mi-*  
*nistros suos ignis flammam* / h. e. Christus est  
 Deus & dominus; at angelos deus fecit instar  
 ventorum, & instar fulguris veloces nuncios  
 ad perferenda iussa sua. Dominus autem  
*Luc. 24. 39.* ait, *Spiritus carnem & ossa non*  
*habet.* Per lucem autem ventum & aërem  
 spiritualis natura aliquantum intelligitur;  
 quia ad naturam spiritualem illa corpora, ut  
 subtilissima / proximè accedunt, aliqua scil.  
 similitudine/ non quòd subtilitatem seu te-  
 nuitatem in spiritibus per se credamus inesse.  
 Per lucem autem hìc lucidum corpus intelli-  
 gimus. II. Nisi angeli essent spiritus, quo-  
 modo legio (multitudo quasi 6000) in uno  
 homine inesse potuisset/ *Luc. 8. 30?* III. Si  
 non essent aliquæ merè spirituales creaturæ;  
 mundus foret imperfectus; quippe qui non  
 C 5            habe-

haberet omnium possibilium genera. Non est autem dubium / quin Deus mundum perfectum creaverit. I V. Et, si animæ nostræ rationales sunt spiritus / multo magis angeli / ut nulli corpori per naturam sociati.

20. Non sunt quidem angeli ita simplices, uti Deus; sed tamen verè, non autem comparatè spiritus. Angeli utiq; sic sunt, ut possint etiam non esse, aut aliter esse vel aliud esse atq; sunt. Est igitur in illis actus & potentia passiva. Aliud est substantia angelica, aliud ejus finitio / mutabilitas / intelligentia / volentia & efficacitas. Sunt ergo compositi ex subjecto & accidente. Aliud est τὸ εἶναι angeli / quod unusquisq; scilicet angelus est αἰγιωπητής, h. e., ut sic loquar / incommunicabiliter, aliud ὁμοῦ communis / per quam est aliquis angelus cum aliis. Ergo angeli compositi sunt ex esse & essentia, ut loquuntur. Sed tamen in illis nec subtilis nec crassa est corporatura.

21. Nec verò sunt æterni, non crearunt mundum cum Deo ut συνεργοί, non sunt ἀκτιστοὶ ὁμοῦ seu increata substantiæ, sed nō min⁹ creata atq; sunt corporeæ, h. e. æquè ab aliquo & ex nihilo / atq; istæ. Nam I. Deus illis utitur ut ministris. Hinc Ps. 103. 20. dicitur; *Benedicite DOMINO / angeli ejus / valentissimi robore, efficientes verbum ejus / auscultantes voci ejus* :

*ei ejus: Benedicite DOMINO omnes exercitus  
 ejus, ministri ejus facientes placitum ejus. Heb.  
 1. 7. Angelos suos facit ventos / & ministros  
 suos flammam ignis. Et v. 14. Omnes sunt  
 ministri spiritus, qui ministerii causa emittun-  
 tur, propter heredes salutis futuros. Qui au-  
 tem Deo subest ut minister, eum ab ipso esse  
 oportet factum. II. Expresse etiam creati le-  
 guntur. Col. 1. 16. Christus est imago Dei in-  
 visibilis, primogenitus (i. e. dominus) omnis  
 rei creatæ. Nam per eum creata sunt omnia  
 quæ in cælis sunt, & quæ in terra / visibilia &  
 invisibilia, sive throni, sive dominia, sive impe-  
 ria, sive potestates, omnia, inquam, per eum &  
 ejus respectu creata sunt.*

22. Nec obstat, quod Moses de angelo-  
 rum creatione in historia sua nihil specialiter  
 attingit. Visibilem enim mundum descri-  
 bere voluit. Nec tamen angelorum omnino  
 oblitus est; quum etiam *Gen. 2. 1.* dicat / cæ-  
 los & terram & omnes exercitus eorum fa-  
 ctos esse. Jam autem etiam angeli sunt cæ-  
 lorum exercitus. Et *cap. 3. 24.* Deus impe-  
 rio in Cherubos usus, dum eos pro aditu pa-  
 radisi collocavit / se eorum demonstravit cō-  
 ditorem.

23. Et quamvis filii Dei vocentur / non ta-  
 men geniti sunt ab eo, non, inquam / natura  
 sed

sed charitate Dei filii sunt, quatenus ipse eos ad imaginem suam creatos maximé dilexit.

24 *Quando autem creati sint angeli / ex scripturis aperté ostendere non possumus: nisi quantum ex Job. 38. cap. colligitur; ubi DOMINUS Jobum alloquens v. 4 / 5 / 6 / 7. ait / Ubinam eras! quum fundarem terram? indica, si novisti intelligentiam. Quis disposuit mensuras ejus, quandoquidem scitus es? aut quis extendit in ea regulam? Cui rei bases ejus demersæ incumbunt? aut quis jecit lapidem angularem ejus: quum canerent stellæ matutine; & vociferati sunt omnes filii Dei? בְּרִן יַחַד כּוֹכְבֵי בֶקֶר וַיִּרְעוּ כָל בְּנֵי אֱלֹהִים:* quod ad verbum sonat, *cu τῶ θεοσφωνεῖν,* quum canerent laudis causa &c. Ideo Targum vertit: *בְּזִמְן דְּמִשְׁבְּחִין כְּחָדָא כּוֹכְבֵי צִפּוּר:* *וּמִיַּבְבִּין בְּל כִּיחֵי מִלְּאֲכֵיָא:* i. e. *quo tempore laudabant simul stellæ matutæ, & orabant omnes ceteræ angelorum.* Si autem tunc hymnos Deo cecinerunt angeli, quum basin terræ ipse poneret, quod tertio die fecit / aquas ab ea segregans; ante hoc tertii diei opus sunt creati. Id autem alii primo / alii secundo die factum esse existimant. Nos eorum opinionem, qui primo die conditos autumant / probabiliorem ducimus, ut scil. statim ab initio contemplatores & testes essent universi operis.

25. Sed

25. Sed *ubi locus eorum fuisset?* De eo parum opus est laborare. Ubi Deus terram collocabat / scil. in inani, ibi locus terræ dicebatur, quum terra existeret. Sic & angeli locus est id spatium / quo ille tanquam finita substantia continetur. Locum autem nos *disp. II.* in genere diximus omne spatium, in quo aliquid finitum inest / sic ut extra illud non sit.

26. Sequitur nunc / *quales sint conditi angeli*, nempe ad imaginem & similitudinē Dei.

27. Etsi verò expressis verbis non sit scriptum in divinis literis, angelos ad imaginem Dei conditos esse: quia tamen ratione seu intelligentia sunt præditi, & Dei filii dicuntur / & sancti sunt creati: ad imaginem Dei facti esse rectè dicuntur. Cui enim definitio competit / ei definitum non est negandum.

28. Imago & similitudo alias pro iisdem sumuntur, alias distinguuntur. Sua natura latius patet similitudo / quàm imago. Nam in omnibus creaturis est quædam similitudo Dei; sed imago est tantum in aliquibus, puta rationalibus. Imago enim propriè dicta / est, quæ 1. ex aliquo tanquam archetypo est expressa, sive efformata ad illius exemplar: & 2. refert seu repræsentat archetypum, vel respectu essentiæ vel qualitatū qualiumcumq;. Sic filius est imago patris, character in cera sigilli, icun-

scuñcula in speculo oppositi vultus. In Mose  
 rāmen  $\square \text{ל} \text{י}$  i. e. imaginem &  $\text{ל} \text{מ} \text{ו}$ , i. e. si-  
 militudinem nonnulli sic discernunt, quod  
 imago ad naturam, similitudo ad naturæ or-  
 natum seu rectitudinem, &, ut loquuntur,  
 gratuita dona referatur. Hanc distinctionem  
 & nos docendi causâ hîc sequemur: sic, ut ta-  
 men ut non satis pleno nomine imaginem si-  
 mus dignaturi, si similitudo absit.

29. Imaginem ergo illam ( quantum ad  
 essentielles angelorum proprietates ) sic indi-  
 camus. *Creatura tantum spirituales vocantur  
 angeli: Qui sunt immortales, & quidem merè intelli-  
 gentes, volentes, & admodum potentes.* Sicut enim  
 Deus habet in se naturam maximè  $\alpha \phi \theta \alpha \rho \epsilon \tau \omega \nu$ ,  
 i. e. corruptioni non obnoxiam, & vivam, in-  
 telligentem scil. volentem & potentem  
 sumo modo: sic angelo dedit naturam spi-  
 ritualem, immortalem, intelligentem, volen-  
 tem, potentem, suo modo.

30. Angelos esse verè spiritus/ seu  $\alpha \sigma \omega \mu \alpha \tau \omega \nu$   
 &  $\alpha \sigma \epsilon \rho \acute{\alpha} \tau \epsilon \varsigma$ , omninoq;  $\alpha \nu \lambda \alpha \varsigma$ , i. e. mate-  
 riæ expertes, jam supra satis dictum est.

31. Angelos dicimus immortales. Duo  
 autem notat immortalitas,  $\alpha \phi \theta \alpha \rho \epsilon \sigma \iota \alpha \nu$  &  
 $\zeta \omega \eta \nu$ , i. e. quod corruptioni non sunt obno-  
 xii/ & quod verè vivant. Potentiâ quidem  
 Dei, ut ex nihilo sunt facti, ita etiam possunt  
 vita sua spoliari omninoq; in nihilum redigi;  
 seu



seu neutrum illis accidere potest / vi ullius creaturæ nec etiam ipsorum potentiâ. Essentia igitur angelorum est nobilior / quàm corporum, quæ in se sunt φθαρτά, h. e. corruptibilia; et si ab iis vanitas fuisset ab futura / si peccatum non esset ingressum in mundum.

32. Quam vitam in voce immortalitatis in genere includimus / eam in specie his tribus intellectu / voluntate & potentia agendi enucleamus. In istis enim omnia consistunt vitæ spiritualis momenta, quod sunt εὐχαι νοεραὶ, βελητικὴ καὶ ενεργητικὴ. Hæc dicatur hujus vitæ qualitas, & sempiterna duratio / ejus quantitas.

33. INTELLIGERE, VELLE, POSSE sc. extra se aliquid facere, est ternarius naturæ nobilissimus / in tribus / Deo / angelis & hominibus. Ubi intelligentia est, ibi est cognitio / ubi cognitio ibi vita / ubi vita ibi essentia. Et ubi intelligentia est / ibi est voluntas; ubi voluntas / ibi agendi potentia / voluntati operatrix addita.

34. Intelligere est nosse excellentissimo modo / supra sensum. Sensu singularia & corporalia tantum cognoscuntur: intellectu verò non tantum singularia & corporalia / verum etiam universalia & spiritualia, vera & falsa / bona & mala. Velle est appetere nobilissimo modo / supra appetitum sensuum / qui est in

est in animalibus. appetitu sensuum cupiuntur bona tantum jucunda sensui; voluntate etiam moralia & honesta. Posse agere spiritualiter / est posse prestantissimo modo / supra potentiam insitam & alligatam corpori. Potentiam agendi corporali possunt tantum effici corporalia; spirituali v. potentiam & spiritualia & corporalia, at intra modum, si creata intelligatur.

35. Ubi intellectus intelligit quod & quomodo debet / ornatus dicitur sapientia & prudentia; ubi voluntas appetit, quod & quomodo debet, sancte dicitur composita, veracitate & bonitate; ubi potentia agendi ab intellectu recto & recta voluntate dirigitur / recte & ipsa in opus ferri dicitur.

36. Talis angelorum natura est ex creatione, & talis honorum natura mansit; quam universam nobis unus locus Ps. 103. v. 20/21. declarat. *Auscultant enim voci verbi Dei.* Sunt igitur intelligentes, & sapientes ac prudentes. Nam verbum Dei non audit nisi creatura rationalis. Et qui id audit & ab eo doceri gaudet, ut Dei iudicium / sui sibi iudicii normam habeat; is sapiens est ac prudens. *Sunt ministri benedicentes Deo, & facientes placitum eius.* Ergo sunt volentes & sancti. Hoc enim est sanctum esse, amare quae Deo placent / & odisse quae ei displicent. *Sunt volentes*

*valentissimi robore & efficiunt verbum Dei.*  
Sunt igitur ἐνεργητικοὶ & potentes, & sapienter ac sancte ἐνεργῶσι seu agunt.

37. De intelligentia autem angelorum in specie testatur locus *Job. 38. 7.* antè allatus. Nam/ 1. si angeli Deum laudant propriè loquendo; & 2. si sunt Dei filii, atq; ita imagine Dei ornati; sunt præditi intelligentia. Et plena scriptura est narrationum de angelicis mysteriorum divinorum revelationibus; ut nihil attineat dicta hîc aggerare.

38. De modo tantùm intelligendi eo, qui est in angelis, aliquid est monendum. Eum verò indicamus, quando dicimus, angelos esse *merè intelligentes*, i. e. non præditos sensibus corporeis, ut sunt homines, in quibus animalis natura cum spiritali est conjuncta. Spiritalis igitur tantùm in angelis est modus cognoscendi: ideoq; excellentior quàm in hominibus.

39. *An verò per essentiam suam, seu per sui ipsorum intuitũ, res cognoscunt?* Ex nature suæ præstantia per creationem à Deo data rectius intelligunt, quid in se & quid Deo sit possibile, quàm nos; quas etiam res in genere Deus condiderit: verùm in specie non norunt res omnes per essentiam/ sed Deum, se & suum officium erga eum, & si quid his affine est. Si autem omnia per essentiam suam

D cogno-

cognoscerent; oporteret illorum essentiam esse archetypum quendam omnium rerum. Sunt quidem perfectissimæ creaturæ, at multo inferiores Dei perfectione.

40. *An intelligunt per species seu imagines a rebus abstractas / quibus scil. res represententur; sicut in hominibus est intellectus agens, qui in aliquam corpoream in sensu positam ideam conversus / ex ea format idæam νοητιν, quam speciem intelligibilem vocant.?* Sunt qui hunc cognoscendi modum solius hominis proprium esse putent / & tantum intellectum, quem possibilem nominant, in angelis ponant. Non tamen desunt etiam / qui angelis intellectum agentem convenire existiment, non quidem ad abstrahendas species rerum communium, quas species in creatione ajunt inditas esse, sed ad abstrahendas species a rebus singularibus: quæ opinio nobis non improbabilis videtur; etsi interim certum sit, in angelis non tam operosos esse intelligendi tractus, ut sunt in nobis. Ad quas res singulares angeli per motum ad locum deferuntur, & quæ res per spiritualem quasi sermonem ad eos afferuntur, quum scilicet per spiritualia signa eis aliquid indicatur, similia sc. illis, quæ nobis in somnis occurrunt: earum cognitionem percipiunt, vi sua cognoscentium & vi rerum quas cognoscunt. Quum autem spiritu-

ST.

spirituali modo intelligent tum spirituales  
res/ tum corporales: tales etiam species / vel  
quasi species esse oportebit. Se intuentes vi-  
dent imaginem aliquam Dei: & sicut corpo-  
reus oculus corpoream essentiam videt / sic  
spiritualis oculus seu mens, maximé pura &  
sensibus nullo alligata modo, aliquid saltem  
spiritualis essentiæ intelliget.

41. *Quum nos intelligamus simplici lumi-  
ne / componentes ac dividentes, id est, affir-  
mantes & negantes propositiones seu sententias  
faciamus / & syllogisticè ratiocinemur / quid de  
angelis dicimus? Quó quidq; est perfectius,  
eó paucioribus modis intelligit, pluribus au-  
tem facit intelligere. Ita Deus simplici lu-  
mine omnia novit / optimé autem etiam per  
propositiones & syllogismos docere potest,  
quia unus rectissimé novit / quæ attributa  
quibus subjectis / quæ media seu rationes qui-  
bus compositarum quæstionum terminis cõ-  
veniant. Deus sibi nihil intelligit per syllo-  
gismum hoc sensu / quasi ei aliquid ignotum  
aut obscurum per notius aut clarius sit pro-  
bandum, quum omnia pariter ei nota sint:  
angeli pauciora intelligunt per syllogismum,  
quàm homines: non tamen nulla, quum  
alia eis nota alia ignota / alia magis alia minús  
nota sint; & conjecturis quoq; eos aliquando  
duci non sit absurdum. Respectu enim*

D 2

Dei est

Dei est imperfecta eorum cognitio, non tamen imperfectione peccatrice. Quó quis etiam est acutior, eó minús pro se indiget syllogismo, et si *πίστεων ὑποδείων*, h. e. argumentorum copiam ad probandum habeat paratior, quám obtusior.

42. Quoniam veró angeli sunt præditi intellectu; etiam habent liberam voluntatem. Sicut enim, ubi sensus est, ibi etiam appetitus quispiam; ita, ubicunq; intellectus, etiam est voluntas: quæ etiam plané ex iis probatur, quæ, ut compendio rem agamus, ex *Job. 38. 7. Ps. 34. 8. & 103. 20.* iam supra attulimus.

43. *Voluntatis proprietas* quædam essentialis est *libertas*, quatenus nullis est per se subjecta *ἀναγκαστικῆς*, h. e. non potest cogi. Et hæc libertas manet in omni angelorum statu. Ex creatione veró; quamdiu in statu innocentia omnes vixerunt, præter *libertatem à coactione*, etiam *à peccato & miseria* liberi erant; in quæ mala illi inciderunt, qui à Deo defecerunt; ut suo loco docebimus.

44. Sicut autem intellectus in angelis est merus/ h. e. non communicans sensibus: sic etiam *voluntas est mera*, h. e. nulli appetitui sensuum adjuncta: quæ in hominibus concurrunt. Non igitur pro se appetunt nisi spiritualia.

45. Por-

45. Porro quum in singulis rebus creatis etiam insit aliqua potentia, tum maximé notitiæ ministra in bestiis/angelis & hominibus. Hinc etiam angeli *valentissimi robore* dicuntur *Pf. 103. 20.* Et *1. Pet. 2. 11.* viribus & potentia majores hominibus. Sic angelus DOMINI una nocte in castris Assyriorum cecidit centum octoginta quinque millia. *2. Reg. 19. 35.*

46. Potentia angelorum est, qua tum se movere queunt é loco in locum, tum etiam corpora varié impellere, & artificiosa facere.

47. Sic quidem é loco in locum transeunt, ut á termino per medium ad terminum permeent, at non resistantibus corporibus; nec sine omni mora temporis / celerrimé tamen & quasi *εν ἀσκήτων χρόνω*, h. e. tempore, quod sensibus vix percipi queat / sicut mané, oriente sole, lux velocissimo meatu magnam terræ partem afficit & q. pervolitat.

48. Alia quum movent, essentias suas iis vel immediaté applicant, vel / uno aliquo corpore immediaté impulso / per alia commovent mediaté.

49. Quod orbibus cœlestibus torquendis vel movendis sideribus præsent, vulgó creditur. Nos v. rem tantam sine scripturis asserere non audemus; vel Dei potentiâ immediaté, vel naturâ suâ stellas moveri statuentes.

50. Hucusq; de essentialibus angelorum proprietatibus : sequitur nunc de accidentalibus ornamentis, per quæ singulari ratione angeli in statu creationis exstiterunt simillimi sui creatoris. Ea exprimuntur/ quum dicimus:

Et hi (angeli) conditi sunt integri, hoc est in sincera virtute & beatitudine, intellige tantum spirituali.

51. Specialem Dei similitudinem hinc vocamus integritatem, per quam scilicet sunt *ἀσμεῖς*, intacti a peccato & miseria. Integritatem enim genus ponimus virtutis & beatitudinis: quam utramque in angelis, creationis beneficio fuisse, colligitur ex epistola *S. Jude v. 6.* ubi dicuntur *angeli quidam non conservasse originem suam & reliquisse domicilium suum, & Deus eos iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservasse.* Hæ sunt fractæ res angelorum. Oportet igitur integras fuisse. Et *Matth. 22. 30.* fideles post resurrectionem conferuntur statui angelorum in eo, quod *uxores non ducunt neque nuptum dantur.* Ergo tantum spiritualis angelorum est integritas.

52. Duo sunt ornamenta rationalis creaturæ, *Virtus & beatitudo.* Per illam angelus est *καλός* i. e. bonus: per hanc ei est bene, *καλῶς ἔχει.*

53. *Virtus angelorum in intellectu est sapientia & prudentia; in voluntate sanctitas i. e. veracitas & bonitas.*

54. Vir-



54. Virtus est sanitas quædam facultatum in natura rationali nobilissimarum; id eóq; alia est in intellectu, alia in voluntate.

55. In intellectu est sapientia & prudentia, Illa quidem in veri & falsi, hæc in boni & mali discretione cernitur: etsi sapientiæ nomine plurimùm etiam prudentiam complectamur. Nimirum intellectus rectus esse dicitur / quãdo est sine errore omniq; defectu vitioso.

56. De sapientia seu scientia angelica ( ita etiam prudentiam intelligentibus) hîc videntum est, quarum ea rerum sit, & quotuplex.

57. Quod ad res sub scientiam angelicam cadentes attinet, eæ quidem sunt plurimæ / sed tamen non norunt infinita / quemadmodum Deus. Nam 1. non norunt diem iudicii, sicut scriptum est *Marc. 13. 13. De die illa ac hora nemo scit, ne angeli quidem, qui in cælo sunt.* 2. Angelorum essentia est finita, ut non sint ubiq;. Ergo nec nosse possunt omnia. 3. Solus Deus est πάνσοφος, πανεπισιοπος, παντεπόπιης, i. e. omnia inspicit & novit. 4. Angelorum scientia per successionem augetur intuitu operum Dei / & observatione gubernationis mundi. Ideo *Eph. 3. 9, 10.* dicitur, τὴν πολυποίκιλον σοφίαν τοῦ θεοῦ, i. e. *multiformem illam sapientiam Dei nunc notam fieri imperiis ac potestatibus, quæ in cælis sunt, i. e. angelis: quum, mysterium, illud antè*

*absconditum fuisset à seculis. Et 1. Pet. 1. 12. Ea per euangelium annunciari dicuntur, in qua cupiant angeli introspicere; sicut Cherubi obuersis faciebus in federis arcam quasi cernui erant. Exod. 25. v. 18, 19/20.*

58. *An verò etiam res singulares & materiis commistas cognoscunt?* Intellectus ea natura est / ut eadem cognoscat, quæ sensus; at his plura, & nobiliore modo. Norunt angeli Deum / norunt sese, & se inter sese, norunt fideles, & hunc mundum ac contenta in eo, longè pleniùs & certius / quàm homo ullus. Nō enim homo sensu solo singularia, sed sola singularia & quidē corporea cognoscit / intellectu autem & cōmunia seu universalia & propria seu singularia omnis generis.

59. *An etiam futurorum eis notitiam tribuemus?* Futura sunt distinguenda, & modus etiam illa cognoscendi. Quæ futura / simpliciter à libertate divinæ aut humanæ voluntatis pendent, & omni modo fortuita sunt; ea / ut respectu angelorum non fiunt necessariò, ita neq; ab illis necessariò cognosci queunt. Quæ autem causas in natura certas habent, ea norunt utiq; , quum plurima horum certò homines periti prædicant, ut eclipses astronomi. Cognoscuntur verò res futuræ vel in seipsis, & sic solus Deus eas novit; vel in causis suis, quæ si sunt simpliciter neces-

necessariæ, res necessarió sciri queunt; si sunt plerumq; contingentes, certiús ab angelis quám ab hominibus præsciuntur, quum illis circumstantiæ sint perspectiores quám his; si sint plané contingentes & voluntariæ, ab angelis ignorantur per se; earum tamen multæ ex divina revelatione illis innotescunt.

60. *An mysteria salutis nostræ eis perspecta sunt?* <sup>1</sup> Quæ Deus communi verbo patefecit, ea illi non possunt ignorare, quippe quorum magna pars per ipsos est subministrata: & <sup>2</sup> quæ opera Deus exsequutus est, ea sæpe per illorum manum procuravit. <sup>3</sup> Nec dubium est, quin etiam privatim Deus illis multa communicet.

61. *Quid veró / an sciunt ipsa decreta Dei?* Quatenus & ea verbo / opere seu exsequutione, & singulari revelatione patefiunt: angelis sunt perspectiora, quám nobis.

62. *Et quid illis ascribendum est, quantum ad notitiam cogitationum / cupiditatum / affectuum, sermonum / actionum ac passionum humanarum?* Internos animorum motus angeli nosse nequeunt, si sint suppressi, & non præcedant forás per signa interna, aut externa. nisi quód eos norunt / quos suggererunt ipsi / quos Deus revelat, & qui se per effecta produnt. Ex temperamento tamen corporis & aliis signis multa acuté queunt conjectare.

D s Quæ

Quæ autem ab hominibus dicuntur aut geruntur / præsentibus vident / invisæ absentibus.

63. Porro duplex est angelorum scientia *ἔμφυτος* & *ἐπίκτητος*, i. e. naturalis & acquisita. Naturalis est / quæ ipsis à creatione est indita / ut quod norunt / se esse / & quid sint / & esse Deum, qualisq; sit / & quem ei cultum debeant. Acquisita seu adventitia est vel *ἀποκαλύψεως* vel *ἐμπειρίας*: vulgò revelatam & experimentalem vocant. Revelationis scientia est / quæ ex patefactione Dei in scripturis vel extra eas angelis obvenit: quò illud spectat, quod impurus spiritus *Mar. 1. 14.* ait ad Dominum / Venisti ut nos perderes; novi te quis sis / nimirum sanctus ille Dei. Sapientia experientia est ex observatione rerum / quæ in mundo geruntur. Huc pertinet quod *Luc. 15. 10.* dicitur, angelos in cœlis gaudere hominum resipiscentia / nempe quum eam experientiâ discunt.

64. In voluntate angelorum est sanctitas, id est, veracitas & bonitas.

65. Sanctitatem dicimus virtutem voluntatis, quæ si ad alios imprimis referatur, ut iis, quod convenit, tribuatur / iustitia appellatur.

66. Sicut intellectus rectus est, verum & bonum probando, & falsum ac malum improbando: ita voluntas recta est, verum & bonum amando / & falsum ac malum odio habendo.

habendo. Quam ob causam duas sanctitatis species facimus/ veracitatem respectu veri/ & bonitatem respectu boni.

67. Omnis substantia intelligens est natura φιλαλήθης & φιλόκατος; Deus quidem naturâ αὐτοφυσικήν καὶ ἀμεταβλήτων, i. e. maximè nativa, non aliunde accepta & immutabili; creaturæ autem naturâ θεοδμήτων καὶ ἀμεταβλήτων, i. e. à Deo ædificata & facile mutabili, si sibi relinquuntur.

68. VERÆ ET BONÆ dicuntur res, ut sunt ΝΟΗΤΑΙ καὶ ΕΦΕΤΑΙ, h. e. tales quæ intelligi seu mente comprehēdi/ & appeti queant, seu in quas voluntas ferri possit. VERACES ET BONÆ, id est hīc boni amantes, personæ vocantur.

69. An verò etiam vera non possunt apprehendi voluntate, & bona intellectu capi? Vera, quæ eadem & bona sunt, amari, & bona/ quæ omnia etiam vera sunt/ intelligi queunt. peccatum verum quidem & non fictum aut falsò sic appellatum dicimus mendacium; & hoc non est amandum; veræ tamen de peccato ἀποφάνσεις seu enunciationes amandæ sunt/ quia bonæ sunt, i. e. artificiosæ/ verè logicæ. Sunt enim non naturalia modò & moralia, verùm etiam artificiosa in bonorum genere.

70. Quum ergo verum & bonum amplissima sint in:

sint intellectus iudicarij & petitoriae (ut ita loquamur) voluntatis objecta, ex eorum ambitu interstincto virtutis latifundia distribuimus.

71. Quum enim voluntas/si ordinem seruet/non appetat nisi ab intellectu ostensa & prætenfa; & veró intellectus, nisi prævaricatorem agat, non monstret aut præferat, nisi quæ ipsi recte affecto antè sapuerunt; ea autem non possint esse nisi **VERA & BONA**: non potest alia/ quàm hæc voluntati commendari. Digna enim præter hæc sunt nulla alia/quæ apud se vel momèto commoratura excipiat.

72. Veritas autem ut unâ re est latior, ita aliâ est angustior quàm bonitas. Voluntas enim per illam amat omne verum tû corporale tû spirituale i. e. in reb. sensibilib. & insensibilib. & quidè pro se ipsa/ quum hoc amore perficiatur magis ac magis; sed bonû nõ item omne sic amat, suâ causâ. Quid enim spiritui mero corporale bonum? quo si perfrui posset, in corpus eum mutari / h. e. ab omni natura sua deficere oporteret.

73. Eam ob rem non easdem in omnes species dividimus sanctitatem angelicam / in quas partimur humanam: memores / angelos extra corpoream molem externarum rerum nullarum indigos habitare.

74. Veracitas angelorum est sanctitas eorû  
circa

circā id, quod verum est iudicatum, h. e. per quam voluntas eorum prona est ad amandū verum: ideoq; per eam ita testari possunt & debent de re unaquaq; , per eam potentiam, qua sua cogitata aliis declarare queunt; uti illa de vero conscientia ipsis dicitur.

75. Veritas bonitatem antecedit, sicut verum bono prius ponimus. Et veritas / cæterarum virtutum voluntatis est fundamentum. Qui enim amat veritatem omnem, etiam has amat sententias, quod deus sit supra omnia magnificendus / & quod a Deo nunquam sit deficiendum.

76. Ut per sapientiam intelligitur verum; sic per veracitatem amatur verum: per potentiam verò indicatur seu enunciatur.

77. In homine est potentia sermocinatrix, quam anima exserit per corpus ἀκρωσ, i. e. ut audiatur, per manum ὀρατῶσ i. e. ut videatur. Lingua enim loquitur & manu scribit. Quod autem ad angelicas cogitationes & meditationes attinet, eas spiritali quodam q. sermone, nutu, omninoq; signo patefacere queunt; modo nobis ἀνεκφρασίω, i. e. ineffabili.

78. Sicut non est dubium, quin angelus angelum iuxta se positum aut ad se accedentem suo intellectu videat: ita certum est, angelum sua potentia alii / quum vult, sua ἐννοήματα tradere posse: sicut nos ore tacentes nobiscum

nobiscum ipsis q. colloqui possumus, & varias nobis imagines in mente proponere.

79. Scriptione angelis inter se non est opus, multoq; minus quam vocali sermone. Signa enim corporalia non sunt per se spiritibus necessaria. Quum tamen volunt, suâ potentiâ etiam externas humanisq; oculis aspectabiles ad legendum figuras pingere possunt, artificio humanam industriam vincen-  
te: ut notum est ex historia *Daniel. cap. 5.* ubi angeli manus in pariete scripsit iudicia Dei Babylonio regi impendentia.

80. Quando in humana figura (h. e. vero corpore, etsi humanâ animâ non animato) apparent; ejus membris pro instrumentis uti possunt, ad sonum formandum & ad aliquid tractandum aut movendum.

81. Bonitas angelorum, est sanctitas eorû, circa id quod bonum est judicatum; h. e. per quam voluntas eorum prona est ad amandum bonum: ideóq; suam agendi potentiam ad id in sua dignitate tuendum debent incitare.

82. Quæ bonitas in angelos cadit / eadem etiam in homines; quia homo aliquid angelicum habet / naturam scil. spiritualem, etsi illâ sua specie ab angelis differentem: at nō quæcunq; bonitas homini convenit, eadē etiam angelo; quia homo etiam animal est.

83. Quó enim quidq; perfectius est & simpli-



Simplicius, eó plura intelligit, sed pauciora appetit. Quó quid auté est imperfectius & cōpositius/eó plura appetit, sed intelligit pauciora.

84. In angelos cadit bonitas;

*Quae bonitas in ipsis est humilitas, fiducia, benignitas & iustitia.*

85. Humilitas circa honorem occupatur, fiducia circa fidem, benignitas & iustitia circa vitam.

86. Humilitas angelorum est, qua se Deo (quippe quem solum superiorem habet) tanquam honorabilissimo, ante omnia submitunt: alia veró secundum gradus ipsorum honorant, i. e. non cōtemnunt. Homines v. aliis hominibus & angelis/supra se/eum honorem debent, ut se præstantiæ gradu iis non adæquent.

87. Humilitas erga Deum decet omnes creaturas rationales, ut, agnitâ ejus majestate, se ipsi subjiciant ut domino, grata ei officia paratæ præstare.

88. Fiducia angelica est, qua angeli Deo/ut fido/adhærent, ut cum nulla re tam studeant esse conjuncti, atq; cum illo, & separationem à nulla re tãtopere abhorreant atq; ab ipso: ideoq; eum invocant, uti det ipsis, ut quam optimé Deo obtemperét, & ei pro omnibus bonis gratias agunt, ut benefactori optimo. Aliis autem/ cum quibus vivunt/ fidunt/ quantum decet.

89. Be-

89. Benignitas angelorum est, qua bene volunt & equalibus & inferioribus; uti hominibus, ut boni sint, & bene sit illis tanquam ipsorum conservis.

90. Justitia angelorum, specialiter sic dicta, est, quod propendent ad bonos defendendos & malos coercendos.

91. Has angelorum virtutes prædicat scriptura, dum eos introducit Deum laudantes & promptissime ejus jussa exsequentes; ut *Pf. 103. 20. Esa. 6. 2. Apoc. 4. 8.* & dum ipsi angeli sancti vocantur *Luc. 9. 20.*

92. Hæc de una parte imaginis Dei, quæ est virtus, quæ angelis à Deo tributa est *sincera*, h. e. talis, ut à furo omni abesset.

93. *Beatitudo angelorum* superest, quæ est *posita in gloria & gaudii fruitione, & in quiete, quæ est ipsis in contemplatione Dei.*

94. Gloria eorum est, quod præcipuæ creaturarum erant, Dei simillimæ.

95. Gaudium est, quod Deum sibi faventem, ut patrem, habebant.

96. Quies est in contemplatione Dei, quod jucundissimam Dei perfectionem summa cum voluptate intuebantur, & ea se quiescebant.

97. De hac summa angelorum beatitudine *Matth. 18. 10.* dicit Dominus, *angelos in cælis per omne tempus cernere faciem patris sui, qui est in cælis.* Et *c. 22. 30.* noster beatissimus in altera vita status angelorum conditioni comparatur.

98. Ita angelorum statum ex creatione communiter exposuimus.

99. Nunc loco divisionis addimus; quod *Angelos Deus condidit numero plurimos*, qui scilicet inter se differunt, ut individua unius speciei.

100. De eorum multitudine passim testatur scriptura. Ita *Dan. 7. 10.* dicuntur millies mille Dei ministri, & myriades myriadum. *Matth. 26. 53.* meminit Dominus XII. legionum angelicarum. Et *Heb. 12. 22.* dicuntur myriades angelorum. *Apoc. 5.* angeli multi, millies centena millia, & decies centena millia; qui canunt, *Ei qui insidet throno & agno benedictio & honor & gloria & robur in secula seculorum.*



DISPUTAT. IV.

## DE HOMINIS CREATIONE

Resp. GERHARDO GRIMERIO Ullumano  
Frisio Oriental.

I.

**M**agnum mundum obiter contemplati sumus: ad parvum, qui tamen & magni est compendium, progredimur. Is. a. Homo est, tum apud sacros tum profanos auctores magnificis titulis decoratus. Pythagoras μέτρον ἀπάντων, *omnium rerum mensuram*; Plato θαύμα θαυμάτων, i. e. *miraculum miraculorum*; Theophrastus τὸ πάντων ἀντίμιμον ἢ ἀδείγμα, *universi ἀντιμῦ exemplar*; Plinius *mundi epitomen & naturæ delicias*; Synesius *corporeorum & incorporeorum horizontem*; omnes μικρόκοσμον *parvum mundum* appellarunt. Ipse verò Deus apud historicum suum Molen, imaginem similitudinemq; Dei nuncupavit; optimè perspectū cognitūniq; habēs, quas in hoc singulari manuum suarum opere dotes reposituerit, & quàm divites in eo thesauros constiparit.

2. Nam, quum aliæ creaturæ aut corpoream tantūm, aut non nisi spirituales naturam sint sortitæ; *Creaturas ex corporea & spirituali natura mistas, Deus creavit homines:*

E ut, quæ

ut, quæ in aliis sunt dispersa, hîc unum in orbem collecta reperiantur.

3. Et præclara ista encomia, partim ab anima omnium formarum præstantissima, partim à corpore corporeorum omnium mēsurā & velut exemplari sunt delibata.

4. Hujus verò nominis vim initió perpendemus, & deinde de rei ipsius natura, de gratia etiam in primo innocentiaē statu communiter, & deniq; de varietate generis, quam ejus conditu Deus sanxit, aliquid commeneabimur.

5. Digna certé res est, quum aliorum operum notitiam indagamus, nos ipsos non præterire; præsertim quum veræ sapientiaē termini duo præcipuè homini sint positi, *γνώσθαι Θεόν, & ἑαυτὸν*, i. e. nosse Deum, & seipsum: qua de causa Demonax interrogatus, quando philosophari cœpisset; rectè, quum, me ipsum, inquit, cœpi cognoscere. Nos a. nō cognoscimus, nisi in Dei notitiam antè deducti, ut inter ipsum & nos instituta comparatio nobis sit gratitudinis magistra & humilitatis.

6. Homo Hebræis dicitur אָדָם adam, eo quod factus sit ex אֲדָמָה i. e. rubra terra. Et hinc Turcicum Adem. *Wād* autem miseram hominis conditionem connotat, eam quæ ex lapsu supervenit, q. *βεβητόν* aut mortalem dicas. Inde verò Aramæis est *Wād* & *Wād* & Arabibus *Dād*. Græcis est *ἀνθρώπος*, quia *ἀνὰ ἴπαι ὤπαι*, i. e. sursum videt facie, erecta scil. ad sublimia, quum

Quum reliqua animalia capere ad pastum sint abjecta.  
 Latinis, homo aut ex humo dictus est, unde est sumotus;  
 aut quod sit opifici Deo ὁμοίω, i. e. similis, aut quod ὁμοίω  
 simul cum aliis vivere gaudeat, tanquam animal socie-  
 tatis amans. Et Americanis est homem. Italicum  
 autem huomo, Gallicum homme, Hispan. hombre  
 inde flexa sunt; & hinc forte Ungarorum ember, vel ab  
 embryo. Germanis est mensch, in quo mens eminet,  
 quā ab aliis animantibus homo differt. Rectius tamen  
 q. männisch; cui affine Danicum menniste. Veteribus e-  
 nim Germanis homo erat man, sicut adhuc Anglis ho-  
 mo & mas ea voce nominatur. Man autem vel à μᾶν, ὅτι  
 unde mens, vel à mahnen monere, facere ut quis recorde-  
 tur; quum etiam Hebrais mas dicatur מַס à verbo re-  
 cordationis habente notionem, eò quod memoriam & no-  
 men familia conservet. Slavonis est clovel, fortasse  
 quod in eo animali solo sit evl weel i. e. scop⁹ etatis seu vi-  
 tæ, ut scil. norit, cui fini sit vivendum, quod bruti igno-  
 rant. rationis enim hoc est officium, finem certum sibi  
 habere & intelligere.

7. Homines neq; casu exsistere potuerunt,  
 neq; ex seipsis: ideo creaturas dicimus. Nam  
 & præstantia eorum major est, quàm ut casus  
 opus esse queat; infirmitas etiam in quotidi-  
 anis casibus evidentior, quàm ut ex seipsis es-  
 se possint. Et si homines ex seipsis essent or-  
 ti; unde cælum, sidera, terra, maria & quæ  
 in eis sunt? quæ omnia humanâ sapientiâ &  
 potentiâ sunt altiora; ut in iis etiam cogno-  
 scendis humana perspicacitas succumbens &  
 deferiscens suam cogatur agnoscere & deplo-  
 rare imbecillitatem.

8. Id regum sapientissimus agnoscens eccl. 3. 11. ait: *Deus facit quidvis pulchrum tempore suo: etiam mundum posuit in corde eorum hominum: nisi quod homo non potest assequi opus, quod facit Deus, neq<sub>3</sub> principium neq<sub>3</sub> finem.*

9. Occupatio tamen, quam, ut est ibidem v. 10., *Deus dedit filiis hominum, ut se occupent in ea;* non est defugienda. Aliquid n. quam nihil intelligere satius est: & si cum mediocri aut etiam tenui scientia, sancta sit juncta conscientia, & si ad tranquillitatem in utendis fruendisq; iis rebus, quæ nobis sunt propositæ, proficiamus, & Deum timeamus ac præcepta ejus observemus, intérq; lacrymas & preces officium patienter faciamus; nulla nobis mundi vanitas aut molestia, quantumcunq; ea fuerit, nocitura est; quin caducarum rerum vertigine exempti, tandem cum Deo vivamus beatissimi.

10. Moyses veró (cujus nobis historia hinc est loco omnis demonstrationis) *Gen. 1. 26.* Deum Patrem cum Filio & Spiritu sancto de hominis creatione loquentem, & q. se exhortantem ad operum suorum complementum sic introducit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram.* Et v. 29. rem factam narrans ait: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem*

*rem Dei creavit eum : marem & foeminam creavit eos. Et ipse Dei filius Matth. 19. 4. ad Phariseos, Nonne, inquit, legistis, opificem ab initio fecisse masculum & foeminam?*

II. Angelos nullos ullorum hominum creatores agnoscimus, quum hos illorum opifices fuisse neque scriptura doceat; neque etiam esse potuisse vel ratio ipsa confirmet. Quid n. stultius dicatur, quam alia quidem homine inferiora à Deo producta esse, hominem autem ab aliis creaturis creaturam primò formatam esse? Et in nullam rem conditam ea cadit sapientia, eaq; potentia, quæ tanti operis effectrix esse valuisset. Et si angelinos creassent, quare ab eorum cultu & adoratione sanctæ literæ nos prohiberent?

12. Deus initio fecit homines creando: & postea facit generando. Creavit primum marem ex gleba terræ, primam foeminam ex mare. Generantur a, alii homines ex mare & foemina; & unus Christus est ex sola foemina. Ita quatuor modis hominum facturam Deus variavit, sine mare & foemina, ex mare solo, ex mare & foemina, & ex sola foemina.

13. *Ex corporea & spiritali natura* misti sunt homines; ut scilicet veluti centrum universitatis faciant, lineis & à vertice & à basi in ipsum concurrentibus. Supra hominem e-

nim sunt spiritus, infra hominem sunt corpora: in medio ipse est, cum angelis spiritus, cum animalibus corpus.

14. Eam etiam ob rem *sexto die post alias res omnes* homo est conditus; tanquam colophon & compendium omnium. Hoc enim facto primum τὸ ἐξαιρέτων Deus conclusit. *Gen. 1. 31.*

15. Et magnum hoc est divinæ benignitatis argumentum, quod hominem non introduxit in mundum tenebrosam, aquis inundatum & rerum ad vitam degendam necessariorum inopem, sed luce collustratum, domiciliis animalium in sicco constitutis, & omni rerum expetendarum copiâ instructum. Imò nondum nascenti homini de omnibus, etiam ad amœnitatem jucunditatemq; exoptandis, providit quàm aberrimè.

16. Cùm alia, tum verò imprimis homines Deus creavit ad gloriam suam; tanquam supremum omnium finem. Etenim à quo sunt omnia, ad eum referri debent omnia: sicut *Rom. 11. 36.* dicitur; *Ex eo, per ipsum & in ipsum esse omnia.* Quam ob causam etiam hominib. conditis leges de colendo Deo sunt præscriptæ: quoniam non tantum objecta quædam esse debent enarrandæ Dei gloriæ, sed ipsi eam ut scopum universæ vitæ sibi objicere, & piè sua eò studia referre.

17. Ho



17. Homines enim dicere, est dicere opus Dei quod & angelos ad Deum prædicandum sua admirabilitate invitet, & ad prædicationes ac laudes suas cum iis sociandas sit idoneum: ut *qui homines non tantum corpore sentiente, sed & anima intelligente sunt præditi.*

18. Duæ scilicet partes sunt divini hujus animalis, corpus & anima; ex quibus illud inferioris mundi, hæc superioris est effigies.

19. Corpus ea pars est, quæ cum aliis animalibus est nobis communis; non tamen citra insignem differentiam. Ut quidem par est in omnibus vitæ ac nutritionis ratio; ita vitalium organorum consimilis in eis est fabrica. Sensus autem & motus; quæ res præcipuè sunt animalis naturæ, ad nobiliores usus in homine referuntur; ideòq; organa eorum majoris cujusdam sunt artificii. Atq; ideo homo habet erectâ figuram & manus. Et (ut ordine membra percurramus) caput habet in orbem quasi tornatum, tum ut capacius esset, tum ut facilius ad motum, & adictus noxios minus proclive. Cerebrum ei est amplissimum & humidissimum, ad animalium functionum varietatem. Facies ei soli est tributa, majestatis, audaciæ pudorisq; sedes, & animi, quidam index: Imprimisq; in ea est admirandum, quòd, quum facies in membra vix decem dirimatur, inter tot millia nullæ cernantur, quas non aliqua singularis nota discriminet. Oculi hominis admodum variant: cæteris verò animantibus, excepto ferè equo, in sua specie perpetuò sunt similes; ut boum nigri, aquei ovium, aliorum rufi. Inde homini, secus atq; aliis animalibus, accidit oculorum depravatio; ut strabones aut pæti ex eo appellentur. Palpebræ quadrupedibus in superiore

tantum cilio, volucris autem sunt in inferiore & homo solus ( si struthiocamelum excipias ) utrinque palpebras habet. Nasus homini altior est ad decorem: aures homini tantum immobiles, & sitae ad latera utrumque in eadem linea cum oculis. Et soli homini cum simiis claves sunt datae, quae universum thoracem supernè claudunt. Solus homo mammas gerit in pectore. Quas partes homo habet priores & anteriores, pectus, ventrem, guttur, & quadrupedibus sunt inferiores: sic etiam homo dorsum, lumbos & sedem habet posteriores, quas superiores illae. Homo paucissimis tegitur pilis, nisi in capite, quod ut humidissimum, ita pilis confertissimum est. Animantibus, quae pilis vestiuntur, partes pronae sunt hirsutae; supinae, aut glabrae omnino sunt aut minus horrent pilis: homo contra parte priore est hirsutior. Soli homini sub alis, & ad partes, quas natura tegi iussit, pili succrescunt. Solus homo canescit & calvescit. Quadrupedum crura & coxae ossibus & nervis abundant, carne deficiunt: at homo nullam ferè corporis partem carnosiorē habet eam, qua sedet, & tibiis ac femoribus. Quadrupedes crura priora & posteriora contrario modo, quam homo inflectit; hic nempe brachia retrorsum, crura antrosum. Homo, quum ad justa incrementa pervenit, partem superiorem habet minorem, quam inferiorem: priusquam verò adolescat, superiorem majorem obtinet, contra quam caetera animalia; propterea etiam non eodem modo progreditur, sed primùm, quum infans est, quadrupes reptat, deinde paulatim se erigit, tandem bipes progreditur. Caeterarum animantium ossa à primo ortu statim perfecta seu solida apparent: at infantibus molle est sinciput, quod paulatim induratur. Quum alia animalia nascantur

tur

quæ dentata, homo septimo mense dentire incipit.  
Et solus homo terrestrium est bipes. Solus homo  
sedet, ad præclaras artes exercendas & ad contem-  
plationem (quæ quietem postulat) obeundam. Uni  
homini polita est cutis, æqualis, lucida & maximè  
temperata; unde tactus est purior, qui quum o-  
mnium sensuum sit fundamentum, hinc nobilior  
est animæ operatio.

20. In humano corpore considerantur partes  
solidiores, & fluidæ, quæ humores & spiritus.

21. Partes sunt primò principes vel ministræ:  
Illæ cerebrū, cor, epar; ministræ reliquæ. Deinde  
aliæ sunt ὁμοιομετρίαι, i. e. similes, aliæ ἀνομοιομε-  
τρίας, i. e. dissimiles. Similares partes duobus  
modis possunt considerari, ratione materiæ, & for-  
mæ. Si materiam spectemus, similes sunt, quæ  
sibi omni ex parte sunt similes; si formā, quæ uni-  
usmodi habent figuram. Partes similes sunt os,  
cartilago, ligamentum, membrana, fibra, nervus,  
arteria, vena, caro, cutis: quibus, lato partis usu,  
adeps, medulla, unguis, pilus annumerantur. Os  
tanquam pars siccissima ad totum corpus stabili-  
undum, dirigendum figurandūmq; valet. Est enim  
ut basis illius & columna, & sine eo corpus rectè  
stare non potest, & indidem proceritas ac incre-  
menti meta pendet. *Cartilago* est mediæ naturæ  
inter os & ligamentum, illo mollior, durior isto,  
Ejus opera ossium extrema lubricantur, & eorum  
motus fit securior, facilior & diuturnior. *Ligamenta*  
mediæ sunt naturæ inter cartilaginem & nervum,  
quæ partes colligant, continent, tegunt aut mu-  
sculos efformant. *Membranae* sunt tactus organa,  
partesq; subjectas custodiunt, colligant, distermi-  
nant. Membranae aliæ sunt fœtus, aliæ editi ani-  
malis. Fœtus involvitur tribus, chorio, amnio,

E s allan

Splanchnoide. Animal variis membris vestitur, quarum quaedam totum corpus inveniunt, ut cutis & panniculus carnosus; quaedam certas partes. Quae ossa tegit, vocatur periosteum, cerebrum subtus superque; velant meninges, medium ventrem eaque costis subtenduntur; imum peritonaeum. *Fibrae* seu villi ad motum & custodiam carnis sunt destinati. *Rektorum* munus est trahere, transversorum expellere, obliquorum retinere. *Nervi* spiritus deferunt, ad sensum & motum: ideo flexionem, contractionem & distensionem praestare dicuntur: oriunturque ex cerebro posteriori molliores, duriores ex medulla spinæ. *Arteria* servant spiritui vitali & tenuissimo sanguini deducendo & temperando, reficiendo & expurgando singularum partium calori. *Vena* deferunt sanguinem crassiorem & spiritum nebulosum. In epate radicanter. *Caro* est vel musculorum, vel viscerum, vel cuilibet solidæ parti peculiaris. Ejus usus est, contra æstum, frigus & cætera foris occurrentia partes tueri. *Cutis* est membrana omnium amplissima & crassissima, externi tactus organum, & subjectarum partium tegumentum, munimentum & ornamentum. Cutis tenuissima efflorescentia eaque insensilis dicitur cuticula. *Adeps* ex pinguiore sanguine sub cute concrevit. *Medulla* aut succus est in ossibus. Extremitatibus digitorum ad perfectiorem apprehensionem appositi sunt ungues. *Pili* subjectarum partium sunt tutela ac ornatus, & fuliginosorum excrementorum expurgatio. Alii autem sunt congeniti, ut in capite, superciliis & palpebris, alii post geniti. Partes dissimilares sunt, quæ in particulas diversæ speciei secantur: ita ut sicut similes partes totius nomen retinent, sic dissimilares eo careant. Et licet omnes partes suo modo sint organa animæ;

præci-

præcipuè tamen dissimilares vocantur organica. Has autem ordine anatomico summam recensebimus, à ventre infimo initium facturi, inde per medium ad summum ascensuri.

25. Inferior habet epigastrium, umbilicalem regionem, & hypogastrium. Epigastrium est à xiphoide cartilagine, ferè ad umbilicum. Latera epigastrii sunt hypochondria, quæ cartilaginibus costarum notharum adjacent. In dextro hypochondrio est epas, in sinistro lien & major ventriculi portio: in medio epigastrii est ventriculi & epatis pars quædam.

26. Umbilicalis regionis pars media est umbilicus; dextræ & sinistrae partes lumbares; ubi in dextris est ren dexter, pars coli intestini, totum ferè cæcum cum jejuni portiuncula; in sinistris ren alter cum coli & jejuni portione; in mediis totum ferè jejunum.

27. Hypogastrium seu imus venter, habet primò partes dextras & sinistras, quæ ilia dicuntur, & ileum intestinum continent ac spermatica vasa. Deinde medio inter ilia spatio sunt rectum intestinum, vesica urinæ excipiendæ & excernendæ destinata, & uterus in fœminis. Postremò in imo est pulpa, & à dextra ac sinistra gluti, media pyga.

28. Ita venter inferior habet continentes communes cuticulam, cutem, adipem & panniculum carnosum, muscutorumq; omnium communem membranam: proprias autem abdominis musculos & peritonæum. In eo autem contentæ partes hîc aliæ coctioni, aliæ speciei conservandæ serviunt.

29. Media humani corporis regio thorax dicitur; & superiore parte claviculis, inferiore diaphragmate, anteriore sterno, posteriore vertebris dorsi.

dorsi, dextra & sinistra duodecim costis tanquam finibus circumscribitur. Thoracem continent communiter cuticula, cutis, adeps, panniculus carnosus, & membrana communis musculorum omnium: peculiariter alia molles & carneae, quae extimae; alia osseae & cartilagineae, quae mediae; alia membranosa. Carnosae sunt musculi complures in thorace siti, respirationi servientes plerique; scapularum plurimi, & quidam moventes brachium. Huc pertinent mammae. Ossearum antica est *σῆρον* seu pectus; ejus latera costae, pars posterior dorsum, cujus dorsi latera scapulae. Membranae sunt costis subtenso pleura & mediastinus. Partes in hac regione contentae sunt cor, pulmones, vena cava ascendens, arteria magna, vena arteriosa, arteria venosa, aspera arteria, oesophagus & nervus sextae conjugationis.

30. Suprema regio est caput, quod a prima colli vertebra ad verticem extenditur. Ejus pars una est capillata altera capillis privata. Capillata est calvaria, cujus circumferentia dicitur corona, pars antica sinciput, postica occiput, media vertex, quae ad latera, tempora. Partes continentis communes sunt pili, cutis, panniculus carnosus; propriae pericranium, ossa cranii, meninges duae dura & tenuis: contentae cerebrum, cerebellum, & qui ab his oriuntur nervi. E cerebri & cerebelli substantia tanquam a radice caudex profunditur spinalis medulla, quae cerebrum oblongum nonnullis appellatur. Facies est superior a summa fronte ad intercilia usque; & inferior a superciliis ad mentum. Faciei partes continentis communes sunt cuticula, cutis, adeps, membrana carnosae. Cutis perforata est in oculis, auribus, naribus, ore; quae quae septem fenestras sunt in arce sapientiae. Partes propriae

priae faciei sunt muscoli faciem moventes & ossa. Quae partes continentur, nobilissimae sunt exter-  
norum sensuum, visus, auditus, odoratus & gu-  
stus organa, oculi, aures, nares, lingua. Tactus  
autem per totum corpus diffunditur. Particulae  
etiam hinc sunt genae, superna & inferna, & labia.

31. Haec sunt tres regiones humani corporis, quarum su-  
prema est maxime ossea, utpote anima rationalis sedes,  
quam adversus lesiones dignis sepimentis muniri oportebat.  
Media est partim ossea, partim carnea. Ossea  
quidem, ut & cavitas efformaretur, & cor roboraretur;  
carnea vero ad faciliorem systoles & diastoles motum.  
Inferior autem regio anteriore parte tota est carnea; quia  
& contrahi & distendi & intumescere ob alimenti coctio-  
nem, excrementorum suppressionem ac foetus gestationem  
oportebat: suprema pars est animalis, media vitalis seu  
spiritalis, infima naturalis. Animalem regionem supre-  
mo loco sapientia architectatrix Dei collocavit, ut sensus  
suae functiones in ea commodius exsequerentur. Spiri-  
talis fons est vita & calor, mediam sortita sedem; ut su-  
premam & imam motu suo vegetare & lumine collustra-  
re posset. Naturalis inimum locum est relegata, ubi ali-  
menti excrementa facilius residere, & unde commodius  
extrudi possent.

32. Artus supersunt, nempe superiores manus,  
& inferiores pedes. Manus partes sunt carpus,  
brachium, metacarpium seu palma, & digiti, qui  
sunt quinque ad perfectam rerum apprehensionem.  
Pes ab ischio & coxendicis articulo ad extremos  
usque digitos protenditur. Hujus partes similes  
continentes sunt cuticula, cutis, adeps, membra-  
na nervosa. Vasa sunt venae, arteriae & nervi. Dis-  
similares partes sunt femur, tibia & pes parvus.

33. Haec de partibus solidis: sequuntur humo-  
res & spiritus. Chylus dicitur humor, in quem  
conver-

Convertitur alimentum in ventriculo: qui in epate chylus vocari incipit. Hinc secernuntur humores alimentarii & excrementitii. Alimentarii sunt sanguis, bilis, pituita, melancholicus succus: secundarii sunt humor sanguineus, ros aut rorida humiditas. Ex his humoribus etiam lac est, foetui nutriendo. Excrementitii alii corporis naturæ sunt utiles, ut fel ad irritandam alvum & ad detergendos crassos humores ex intestinis; melancholia ad excitandam cibi appetentiam. Et pituita tempore necessitatis convertitur in alimentum. Alii sunt inutiles, ut serum, puta urina & sudor; maximè a. qui naturæ corporis penitus ad-versantur. Spiritus verò sunt velut igneæ flammulae, animæ facultatum instrumenta. Est autem alius spiritus innatus, alius influens. Innatus quo omnes corporis partes fruuntur, qui partes corporis initio format, auget & conservat. Is autem alitur humido primigenio, quod radicale dicitur. Spiritus influens dicitur naturalis, vitalis & animalis. Naturalis est vapor ex portione sanguinis tenuiore in epate; ut sanguis perficiatur & melius per venas corporis didatur. Vitalis genitus est in corde, qui per arterias in totum corpus diffunditur. Animalis procreatus est in cerebro, ex spiritu virali sublimatus. Vide Job. 6. 4.

35. *Hæc humani corporis sciagraphia sufficiat hoc loco: cuius inspectio & contemplatio, & ad admirationem Dei opificis nos excitare, & de singulorum recto & sancto usu nos monere debet. quam rem Jobus deprecatur cap. 10. dicens; Sicut lac fudisti me, & tanquam caseum coagulasti me: cute & carne induisti me, ossibusq; & nervis texisti me. Et David Psal. 139. Artificiose sum factus: massam meam vident oculi tui. Et præclare Epictetus, Si, inquit, mentem haberemus; aliud*



aliud nihil agere nos publicè privatimq; oportebat, quàm  
numen divinum celebrare, & gratiam de eo famam spar-  
gere, multiplicisq; gratia ejus beneficia commemorare.  
Nonne etiam fodientes & inarantes terram & cibum ca-  
pientes hunc Deo hymnum cantare decebit? Magnus est  
Deus, qui nobis hæc instrumenta est largitus, per quæ ter-  
ram colimus. Magnus est Deus, qui manus nobis tri-  
buit, & ventrem, & ut latenter velutq; occulto ævo au-  
geamur & dormientes respirare valeamus. Hæc aded  
in omnibus rebus accinenda erant, & maximum divi-  
nissimumq; Deo carmen pangendum erat, quod & facul-  
tatem ac vires donavit, ut hæc tanta opera consequi possi-  
mus, & viam quoq; adjecit, quâ eisdem rebus uti & frui  
queamus. Sic ille. Utamur verbò etiã omnib<sup>9</sup> mēbris  
sanctè & adolescētiã sic collocem<sup>9</sup>, ne in senio nos  
anim<sup>9</sup> & caro ac ossa nostra ad judiciũ Dei citet ac  
dãnet in seipsis. Huc pertinet regis sapiētissimi ex-  
hortatio Eccles 12. Recordare creatoris tui in dieb<sup>9</sup>  
juventutis tuæ, antequã adveniant dies mali, & ap-  
propinquent anni, quibus dicas: Non est mihi  
amplius voluptas in rebus his, quarum nunc demum  
intelligo vanitatem: antequam obtenebrescat sol &  
lux, lunaq; & stellæ seu rerum humanarum splendor  
& felicitas, & recurrant nubes post pluviam, cerebrũ  
humidioris infirmitates: die illo, quo commovebun-  
tur custodes domus, brachia scilicet, & manus tre-  
more occupabuntur; incurvabunt sese viri robusti,  
crura labefacta: intermittent molitrices illæ den-  
tium facultates, quod imminutæ sint senio; & tenebre-  
scent oculi, qui spectant per fenestras perforatæ cutis  
occludentur etiam valvæ, quæ foras spectant, la-  
bia, quæ tanquam fores sunt corporis; dejectã sonorã  
molitione, quum cibos duriores, quos cum dentium so-  
no mandere solebamus, non amplius confringere valebi-  
mus: & surget homo senior factus ad vocem aviculæ  
garricu-

garrientis somno excitatus; ac incurvabuntur omnes cantatrices, tanquam fastiditæ, quum atas acta erit. Quum etiam à re alta timebunt neq; clivum amplius ascendere audentes & à contritionibus in via sibi metuent, necubi etiam in plano offendant & cespitent; & quum florebit amygdalus, ut caput totum confertim incanescat; & onerabit se locusta, dorsum nempe ita incurvatum, ut illius speciem referat instarq; oneris se nem premat: & dissolvetur appetentia cibi, potus, aliarumve voluptatum; quum homo abibit in domum suam æternam, humo sepeliendus in tempus resurrectionis, circuituris in platea mortuum plangentibus. Antequam dissolvatur funis argenteus, medulla in spina dorsi alba, in longum extensa; & conteratur phiala aurea meningum, in quibus est cerebrum, & frangatur hydria ad scatebram. i. e. rumpantur venæ mesaraicæ, ad epar posita, ut ex eo tanquam fonte succum sanguineum hauriant & in corpus distribuunt, & conteratur rota ad cisternam, pulmo, qui continuo motu halitum infundit corpori & effundit. Et omnino antequam redeat pulvis in terram, corpusq; exanime factum sepeliatur. De corpore vide plura apud anatomos. Nos Andr. Laurentium sequuti sumus.

36. De anima nunc etiam paucis agamus. Ea est principium, quo vivimus. Ut itaq; triplex in homine vita concurrit, ita & anima, sive triplex, sive una tergemina vitæ origo. Nos hinc, corpore hominis dicto, simul intelligimus animam omnem, quæ corporeæ naturæ est assimilis, ita ut in corporeis subjectis accidentium instar existat, ut est anima vegetans & sensifica. Cum plantis enim homo viget, & cum brutis animantibus sentit. Hæc itaq; in voce animalis latent, quum homo definitur animal rationale.

37. Ab anima vegetante homo habet, quod vici caloris & humoris nutritur, in omnem dimensionem

tionem (longitudinem; latitudinē & profunditatem) crescit, & in maturitate sua speciem potest propagare.

38. Ab anima sensifica est, quod homo vim habet cognoscendi sensu, & ei convenienter aliquid appetendi & loco se movendi. Sensus sunt externi, extra cerebrum scilicet quinque; visus, auditus, odoratus, gustus, tactus; & interni in cerebro, duo, sensus communis & phantasia. Sensu communi actiones externorum sensuum cognoscuntur, & species ab eis perceptæ discernuntur. Per phantasia species à sensu communi perceptæ, vel in illa ipsa sua vi formatæ examinari, ac diutius retineri possunt: ideòque quatenus imagines rerū corporeas custodit, memoria sensuum dicitur. Vis appetendi est, qua animal bonum sensibile cupere, vel à malo abhorreere potest. Vis movendi; qua animal vi muscutorum se ad res appetitas, aut ab appetitu imperatas, potest inflectere: vel toto corpore vel certis partibus. Ita in corde & arteriis est vis pulsandi naturalis; et vis spirandi in pulmonibus mista, etsi spiritus non possit longo tempore, incolumi vita, comprimi.

39. Animam rationalis est substantia spiritualis, divinitus inspirata & addita corpori, ad illud regendum. Omnis autem spiritus est aliquid νοερόν, θελητικόν, καὶ ἐνεργητικόν, i. e. intelligens, volens & potens; sicut & de Deo ostendimus, & de angelis. In Deo illa facultas est summa, in angelis media, in hominibus infima. Quod in brutis est sensus, appetitus & vis movendi, hoc in homine, quatenus est homo seu rationalis; est intellectus, voluntas, & sua agendi potentia. Differentia autem hæc est: quod sensus sola singularia & corporalia, intellectus etiam universalis & spiritualia cognoscit. Et sic

F appetitus

appetitus sensuum & agendi potentia non fertur ad alia nisi sensibilia: voluntas autem & ei accommodata spiritualis agendi potentia, etiam ad ea quæ intelliguntur. Sicut quum videmus, quatuor distinguuntur, objectum visibile, species figuram objecti ad oculum deferens, ipsa eius speciei receptio, & imago inde in oculo expressa: ita quum intelligimus, discernuntur objectum, quod cognoscendum proponitur, à quo similitudo trahitur; inde species, quæ facit objectum intelligi, hinc intellectio, qua internum verbum mentis exprimitur, & denique ipsum verbum tanquam in mente expressa imago eius objecti, quod intelligitur. Cæterum intellectus, qui rerum species indeque verbum potest recipere, dicitur patiens; quatenus producit species intelligibiles & per eas facit objectum actu intelligi, agens. Et *θεωρητικός* vocatur, quatenus contemplari potest verum & falsum, sciendi ergo; *πρακτικός*, quatenus bonum vel malum morale operandi causa; *ποιητικός* quatenus aliquid artificiale speculari valet. Voluntatis actus, qui sponte ab ea emanat, dicitur elicitus; at imperatus, quem voluntas imperat efficiendum. Voluntas specialiter dicitur, quatenus finem respicit, ut *λογιστική* electio & liberum arbitrium respectu mediorum. Dum anima in corpore est, agendi potentia, quæ animæ rationali ipsi inest, quasi sopitur, sapienti Dei consilio, ut amicis vinculis ligata ad corporis exitium non efferatur.

40. *Hæc rudis & tenuis sit physica de homine, in hoc creationis commentariolo non aliena: ejusdem etiã ethica hinc est tradenda, ad primum statum, qui est innocentia, accommodata. Quatuor enim ii sunt, innocentia, miseria, gratia & gloria; in quorum primum pervenit homo per creationem, in secundum per lapsum, in tertium per conversionem, in quartum conversus per mortem & maximè resurrectionem.*

41. *Ethica*

41. *Ethica proposita est hominis integritas; qua honestate & felicitate absolvitur.*

42. *Et hi primi nostri parentes, conditi sunt in virtute & beatitudine; qua & ipsa mista erant: ita ut per virtutem essent boni, Deoq; placentes, per beatitudinem autem bene ipsis esset, & sibi rectè placentia haberent. Et hæc duo præcipuè imaginem seu similitudinem Dei in homine complectuntur: etsi specialius dicta imago in substantia animæ spirituali, similitudo verò in statu virtutis & felicitatis ponatur.*

43. *Mistas autem dicimus, virtutem & beatitudinem, quia ut homo est corporeus, & spiritualis; ita etiam virtus & felicitas ipsorum est modificata, ut in rebus corporalibus & spiritualibus simul cernatur. Atq; ita hominum conditionem distinguimus ab ea, quæ est angelorum, qui sunt merè spiritus.*

44. *Virtus hominum in intellectu erat sapientia et prudentia, administrata sensibus.*

45. *Intellectus perficitur cognoscendo res insignes. Harum aliæ pertinent ad ea quæ sunt, non autem possunt fieri, aut saltem à nobis nequeunt fieri, aut etiam nõ debent. Et in his intellectus theoreticus occupatur; ut quæ in ipsis veritas est, eam intueatur; cuius intuitu & perceptione fit sapiens. Sic*

Deus cognoscitur, qui non fit; sic cælum & siderum motus, terra & mare, quæ à nobis non queunt fieri, neq; debent. Aliæ autem spectant ad ea, quæ à nobis bene fieri possunt aut debent, ut honesti simus & dicamur. Circa has res intellectus practicus versatur, ut quæ in ipsis esse potest moralis bonitas, eam percipiat sancti operis producendi causa: unde prudens aliquis appellatur. Ita cognoscitur humilitas non tantum ut sciamus, quæ ejus sit natura, sed ut secundum hanc regulam Deo & superioribus omnibus nos convenienter submittamus.

46. Sapientiã & prudentiam hominis dicimus adminiculatã seu adjutã esse sensibus; eò quòd non sit in nobis simplex intelligendi ratio, ut in angelis; sed mista. Nam à corporeis sensibus plurimum nos & occasionem & modum res objectas cognoscendi sumimus. Unde tritum est axioma; in intellectu nihil ferè esse, quod non antè fuerit in sensu.

47. *Virtus autem in voluntate (præter veracitatem & præter bonitatem, de angelis supra dictã) in hominibus in statu innocentie erat etiam bonitas ad appetitum sensuum in seipsis moderandum, & ad civilem societatem cum aliis rectè colendam.*

48. Veracitas humana parum variat ab angeli-

angelica. Est utrobique amor compositus circa verum, & , ubi opus est, ejus eloquutio. Inter homines tantum scriptione opus est, qua angeli pro se non utuntur. Si quid autem à Deo literis manifestare jubeantur, id faciunt mandatis Domini voluntati congruenter.

49. Bonitatis species in angelis consideravimus humilitatem, fiduciam, benignitatem & justitiam: quæ etiam fuerunt in hominibus ex creatione; tantum, propter animalem horum naturam, & quia in civili societate fuere collocati, aliter modificatæ. Nam hominum est etiam gestibus, sermonibus verbis & factis corporeis virtutem declarare & promovere; interq; se honestatis tuendæ procurandæq; publicæ utilitatis causâ cœtus agitare & communitatem colere.

50. Objecta virtutum ponimus *honorem, fidem & vitam*: circa quæ angeli & homines errare queunt: etsi dissimiliter circa vitam. Nam angeli inter se cædes non possunt facere ut homines, quia natura eorum à Deo creata est immortalis. Et conjugia ad speciem propagandam inter meros spiritus nulla esse queunt; etsi hi præter jus homines occidere, & ut ad alia peccata, ita etiam ad impudicitiam instigare queant; atq; ita in hominum vitam delinquere: quod faciunt, qui à Deo defecerunt. Sicut tamen homo homini vi-

ram invidens homicida judicatur: ita si angelus angelum alium vivere nolit sed interire, ἀγγελολόνος, i. e., ut ita dicamus, angelicida sanè dicatur. Et sic impuros amores vel simulans angelus, ἀναγρῶς seu non castus appelletur. Circa honorem autem & fidem major est angelicorum & humanorum actuum similitudo. Nam angelus, ut homo, propriè humilis aut superbus/ fidus aut perfidus nuncupari potest: etsi, ut diximus, in homine etiam actus corporaliter seu externè honesti requirantur.

51. Sed humanam bonitatem summam adumbremus. Ea igitur occupatur primò circa honorem aut fidem, deinde circa vitæ conservationem aut propagationem. Quum homo honorem proprium dignè tuetur, gravis; quum alii suum etiam non derogat, comis aut humanus; quum superioribus debitum tribuit cum veneratione, humilis vocatur. Humilitas autem erga Deum nostra summa esse debet, sine exceptione; ut scilicet semper/ ubiq;, & in omnibus reb., ex omnibus viribus nos magnitudini Dei ad quidvis ex ejus voluntate agendum aut patendum subjiciamus. Quantum ad fidem, qui se talem gerit, ut tutò ipsius bonitate stetur, utq; se χρησθῶν, i. e. utibilem præbeat, is benignus; qui fido sine dubitatione se committit



mittit & ei adhæret, fiducia erga eum prædicitur vocatur. Fiducia autem erga Deum tanta esse debet, ut nulla cum persona aut re tantopere uniti esse studeamus, atq; cū Deo, & ab omnib. omnino separari velimus potius, quàm vel minimum ab eo deflectere. Ubi hæc humilitas & fiducia erga Deum recta est; ab eo bona necessaria conservari & dari precamur, mala autem convenienter deprecamur, & ei tanquam omnium bonorum fonti, animo, voce & vitâ gratias agimus. Erga angelos autem bonos & homines, fiducia erit moderata & sub Deo limitata, sine cuius nutu & directione nulla creatura ulli nobis bono esse potest. Quicquid enim ab illis ad nos proficiscitur commodi; eorum communicandi tantum ministri sunt illi, ita ut & animus, quem in nos benignum gerunt, & res ipsæ quibus adjuvamus, ex Dei creatoris & gubernatoris omnium promptuario petantur. Quum verò Deus angelos civilis nostræ societatis membra non constituerit; eorum familiaritatem petere non licet, sed tantum nostri defensionem per eos à Deo præstari, pro arbitrio ipsius & salute nostra: & Deo pro ipsorum ministerio gratiæ à nobis sunt agenda, ipsorumq; merita, in eo erga Deum cultu, sunt agnoscenda. Porrò si quis vitam ipsam directè tueatur, aut debitis modis fontem affligat

fligat circa eam; vi specialiter circa vitam su-  
 stus; si quis in commerciis & contractibus,  
 quæ sunt ad vitam degendam subsidia, legiti-  
 mam servet æquitatem, justus commutando;  
 si quis aliis necessaria ad vitam liberè imper-  
 tiat, liberalis; si ex merito, gratus dicitur. Si  
 quis autem bonis ad se alendum & foven-  
 dum pertinentibus, laudabili cum modera-  
 tione utatur, is frugalis nominatur. Postre-  
 mo qui circa vitæ seu speciei propagationem  
 se sanctè gerit, illicitas consuetudines fugi-  
 ens, & aut in coelibatu aut in justo conjugio  
 puritatem servat; is castus vocatur.

52. Hæc sunt virtutum humanarū sum-  
 ma fastigia; quibus in statu innocentia, tan-  
 quam naturali ornamento, ex creatione ho-  
 mines refulgebant. Quas licet historiogra-  
 phus divinus non recenscat sigillatim; uni-  
 versæ tamen ex libro de ortu rerum, quem  
 Genesin dicimus, & quidem prioribus ejus  
 capitibus duobus manifestè colliguntur. Nā  
 hominē conditurus Deus, *Faciamus*, ait c. I.  
 v. 26., *hominem ad imaginem nostram secun-  
 dū similitudinē nostram*: & ibid. v. 27. cre-  
 asse dicitur *Deus hominē ad imaginem suam,  
 ad imaginem Dei eum creasse, et creasse marē  
 ac fœminam*. Jam a. Dei justa & satis plana  
 imago non est, nisi quæ etiam est spiritualis,  
 atq; ita intelligens & volens ac potens. Et  
 intelle-

intellectus similis non est Dei, nisi sapiens & prudens: & voluntas Dei non est similis, nisi verax & bona, h. e. humilis cum fiducia, benigna & iusta. Qui autem præterquam quòd spiritualis est, etiam corporeus est: is & hanc animale naturam sanctè possidere ac gubernare, & sensibus rationaliter, & ratione circumspectè ac sanctè uti debet. Idem etiam *cap. 2.* ex eo liquet, quòd Deus hominè in horto positum, ejus culturæ addixit, & ei legem tulit, qua & animi & corporis dotes à se concessas per obsequium probaret. Vetuit enim ei fructuum certæ & nominatæ arboris esum, additâ comminatione mortis, si interdictum violaret. Instituit etiam conjugium, & inter marem ac fœminam id sanctum esse jussit. Ita scilicet Deus hominem in Deum convertit sursum, ad latus seu juxta eum in civilem societatem cujus initium erat conjugium, & infra ipsum ad mundi utile dominium. Vide *cap. 2. 15. 16. 24.* Huc pertinet etiam, quòd *eccles. 7. 29.* dicitur, quòd *Deus fecerit hominem rectum*, in quo scilicet nulla esset obliquitas, curvatura aut discessio à prima causa efficièto & fine Deo: sed per rectas quasi lineas omnes affectus & appetitus hominis ad ipsum ferrentur, in eo solo cum oblectatione requiescentes. Hoc idem confirmat apostolus *Col. 3. 10.* dis

§. 10. dicens: *Induti sitis novo illo homine, qui  
 renovatur in agnitionem congruentem imaginē  
 Dei, qui ipsum condidit: & eandem rem tra-  
 ctans Eph. 4. 24., ubi jubet nos induere no-  
 vum illum hominem, qui secundum Deum con-  
 ditus est ad justitiam & sanctimoniam verita-  
 tis. Hic secundum Deum est ad similitudi-  
 nem Dei. Ad quam scilicet conditionem  
 homo renovatur; in ea est posita Dei simili-  
 tudo. At apostolus, de virtute hinc agens, sta-  
 tum hominis regenerati & quasi recreati de-  
 scribit cognitione seu sapientiā, quæ est intel-  
 lectus perfectio, & justitiā ac sanctimoniā,  
 quæ est integritas voluntatis. Justitia autem  
 significat voluntatis rectum habitum ad a-  
 lios, sanctimonia verò ad nosmet ipsos re-  
 latum. Justi quippe sumus erga Deum &  
 proximos, eis quæ ipsorum sunt tribuentes:  
 sancti etiam in nobis & erga nos ipsos esse  
 dicimur. Veritas autem hinc sinceritatem si-  
 gnificat seu habitudinem alienam ab hypo-  
 crisi; quum scilicet non aliud esse aliud vide-  
 ri cupimus. Ratio quoq; idem confirmat.  
 Nam imago alterius id est, quod ex altero  
 expressum est, & illi est simile secundum illi-  
 us propriam differentiam essentialem aut in-  
 dividuam, aut aliquod accidens proprium il-  
 lius, vel certè secundum aliquem essentialis suæ  
 aut virtutis gradum ad illud propius accedit,  
 quam*

quàm ulla res alia. At homo secundùm mentem Deum refert intelligentiâ, & sapientiâ ac sanctitate in statu innocentie præditus erat; quib. reb. alia infra hominem posita destituebantur. Quæ n. res tantùm sunt, aut vivunt, vel sentiunt, etsi omnes ad ideas in mente Dei consistentes factæ, tam propè ad Dei similitudinem non accedunt. Hinc est quòd creaturæ rationis expertes Deum dicuntur referre per modum vestigii, id quod representat archetypum non secundùm se, similitudine naturæ, sed ut effectus, ex quo per ratiocinationem colligi possit, quæ sit natura causæ.

54. *Quas verò res homo in statu innocentie cognovit?* Has in specie definire velle, curiosius est, & plus tentare, quàm est hominis. Hoc certum est, eum cognovisse Deum creatorem, gubernatoremq; suum, quantum ad essentiam, ejusq; proprietates & personas; & se officiumq; suum erga Deum; opera item alia creationis, quantum ad hoc satis erat, ut expertis peccati & pro isto statu satis felix judicaretur; ad se probandum Deo, & ad mundum sibi subditum gubernandum, non quidem, quantam habent beati in cœlis in claritate sua, sapientiam possedit, quæ tam est evidens & solida, ut se à Deo avertere non possint; quod primi homines fecerunt.

Eximia

Eximia tamen sapientiæ argumentum Moses commemorat, quòd Adamus tanquam divinus ὀνομασθεὶς omnibus animalibus, quæ Deus ad ipsum adduxerat, convenientia nomina imposuit. Scivit, se labi posse: sed lapsurum esse, & redimendum esse per Christum ignoravit; nisi postquam, peccato admissio, cõsolationem à Deo percepit. Scilicet ea nescivit, quæ neq; ex principiis naturalibus colligi, neq; ad officium obeundum necessaria erant; ut cogitationes & affectiones animi, numerum arenæ maris & pleraq; singularia, nempe merè contingentia, à Deo non revelata. In eo autem consistebat, quòd homo sine mentis errore conditus fuit, & quamdiu sibi vires inditas dignè exserebat, decipi non potuit; quippe eâ utens consideratiâ, ut rebus non nisi exploratis absolutè assensurus fuisset, sed prudente iudicio inter res certò sciendas, planè falsas, & dubitabiles discreturus. Nec Eva credidisset serpentis suasioni, nisi iam, ut cum Augustino loquar lib. II. de genesi ad liter., *infuisset ejus menti amor ille propriæ potestatis, & quedam de se superba presumptio.*

54. *An autem nulla peccati labes in hominem in primo statu cadebat?* Nulla planè. Habebat enim naturam à solo Deo factam, & ad eum conversam: ita ut per vires suas, quas

quas liberaliter Deus dederat, posset divinã præcepta implere; etsi interim, ut mutabilis, Dei auxilium implorare teneretur. Ratio ejus Deo subsiciebatur; & appetitus sensuum rationi, & potentia motrix appetitui, omninoq; corpus animæ: quum sæpe nunc fiat contrarium in corrupta natura.

55. Porro cum hac justitia, quæ originalis dicitur, conjuncta erat Dei gratia, ut homo scilicet Deo placeret, sicut Deus homini placebat unicé; atq; ita dignus ipse, ex Dei favore, judicaretur æterna beatitudine, si in eo statu perseveraret. Quin etiam jam tum felix erat, etsi felicior futurus, si gratiam primò datam rectè collocasset.

56. Alteram itaq; partem imaginis divinæ ponimus in beatitudine, quæ est status à calamitatibus liber. Ut enim virtuti vitium seu peccatum; ita beatitudini afflicta & misera conditio opponitur.

57. *Beatitudo autem hominum ante lapsum (præter gaudium, gloriam, ac quietem in Dei contemplatione, quæ ipsa de angelis antè diximus) etiam complectebatur corporis formam, eximiam sine pudore, sanitatem sine moriendi necessitate, & suavem rerum affluentiam ad vitam in terra degendam, cum spe melioris status in futurum, si in innocentia permanerent: dominium itē in alias creaturas in terra, aqua & aëre.*

58. Quo-

58. Quoniam hominis natura ex spirituali & animali est mixta; beatitudo hinc etiam non est unius ordinis; sed pars animam pars corpus, & pars eius totum hominem respicit.

59. Quæ beatitudo animam rationalem merè spectat; ea cum angelis fuit homini cōmunis, nempe gloria, gaudium, & quod summum est intelligentis creaturæ bonum, quies in Dei contemplatione.

60. Gloria hominis erat, quod naturæ & donorum gradu tam eximia erat creatura; & talis quoq; à Deo creatore domino, ab angelis conservis, unā creatis, & suo modo quoq; ab animantibus subservientibus agnoscebatur. Gloria ignominia opponitur; quæ nunc passim mundum occupat.

61. Gaudium erat suavis affectus, quo in præsentibus bonis acquiescebat, ut quod talis tantaq; creatura esset, per Dei gratiam, & Deum in se benignè affectum haberet, quicum virtutis similitudine junctus erat. Hoc enim est gaudium in mente, quod voluptas in corpore, quum jucunda re afficitur; ut quum frigus calore fovetur, sitiens potu, esuriens cibo se recreat.

62. Præcipuum autem omnium bonorum est quies in contemplatione Dei, tanquam faventis homini, & nunquã etiam ei favere desituri, si Deo grata facere ipse non desistat.

Deus



Deus est summum bonum absoluté, quippe quo nihil est superius, perfectius & tranquillius in se; nihilq; omnino fuit, nihil est, nihil erit, nihilq; cogitari, optari, aut esse potest melius. At summum bonum nostrum seu præcipua beatitudo nostra est illius boni fructio per actionem seu operationem perfectissimam seu sublimissimam, eandemq; amplissimam, seu capacissimam omnia sub se colligentem, & deniq; jucundissimam, quæ nos tranquillet penitus; ut nihil eâ potius expectamus, vel expetere possimus aut debeamus. Talis autem est *θεωρία*, seu contemplatio vel visio, qua τὸ θεὸν ὁρῶμεν ἢ ἀγγελλομεν, i. e. Deum contemplamur & curamus nosse; in cuius scilicet aspectu omnibus pulchritudinibus pulchriore juvat usq; & usq; morari; ut videndo non fatiemur, contemplando non fatigemur, cernendo non hebescamus, sed, procedente luce, clariores vivaciorésq; evadamus. Hujus felicitatis conditionis indicium est, quod ante peccatum homo cum Deo familiariter versabatur; ut quum is animantium varias species ad Adamum adduceret, ut eis tanquam peculio alicui suo nomina inderet.

63. In corpore protoplastorum insignis etiam forma fuit seu pulchritudo, apta scilicet figura membrorum cum coloris suavitate; scdum autem nihil aut distortū. Et quamvis  
nudi

nudi essent; pudori locus nullus erat, quum  
neq; in animis eorum ulla turpis foret appe-  
tentia, neq; ulla in membris deformitas aut  
adversus rationem rectam rebellio. Ideo  
*Gen. 2, 25.* nudi fuisse dicuntur, neq; tamen  
erubuisse. Non enim ex divino, etsi eo mi-  
nimo opere, pudor est, sed ex operis à Deo fa-  
cti humana & improba corruptela.

64. Fuit etiam in corpore sanitas, tum eu-  
crasia scilicet in qualitatibus caloris & frigoris,  
humorisq; ac siccitatis salubri mixtione & p-  
portione; tum etiam symmetria partium,  
quantum ad analogam quantitatem & earum  
figurationem situmq; ac nexum inter sese.

65. Et hæc sanitas adversus morborum in-  
cursus tuta fuit, & contra ipsam mortem mu-  
nita; ita ut non tantum anima rationalis esset  
immortalis, quippe spiritus incorporeus, pro-  
pè ut angelus, sed etiam corpus: quanquam  
corpus non naturam, quum ex materia corru-  
ptionibus obnoxia conditum esset, sed pecu-  
liari Dei munere, qui sua paterna providentia  
incommoda & damna ab eo prohibuisset, si  
illud peccati minister non existisset. A-  
nimæ humanæ Deo unitæ perfectio, alimén-  
torum & imprimis arboris vitæ naturalis ad  
vegetandum efficacitas, & circumspectio, quam  
tunc homo in rebus suis adhibere poterat,  
adversus morbos & mortem aliquid momentum  
contu-

contulissent. Deus etiam ipse, si maxime vigor corporis declinaturus fuisset, maturam hominis in caelestem vitam translatione incommodum illud praevenisset.

66. Quod ad totum hominem attinet; is etiam in statu naturae innocentis/ rerum ad hanc vitam degendam necessariorum & expetendarum suavem affluentiam habuit; sine molesto labore aut sudore. Et huic adjuncta fuit spes status melioris inter caelites, exactam terrenam vitam, adipiscendi & fruendi, si in sua integritate homo persisteret.

67. Postremo etiam homini dominium concessum fuit in alias creaturas in terra aqua, & aere viventes: quibus scilicet sancte moderatèq; suo bono uteretur.

68. Ita in anima & ejus viribus ac dotibus, spiritualibusq;, sanctis & beatis actibus hominis/præcipue Dei imago ponitur; in corpore autem secundaria quadam ratione, seu per accidens, quatenus in eo dignitas ac præstantia humanæ mentis resplendet. Adumbrat autem anima recta spirituales Dei essentiam unam, cum proprietatibus, quibus indicatur, Deum esse summo modo, vivere spiritualiter & integerrime: item personarum triada in mente, verbo à mente genito, & amore. Ut enim mens hominis intelligendo rem/producit verbum, mente ac & ex

G            verbo

verbo procedit amor ejusdem : ita æternus Pater gignit coæternum & coëssentiale verbum, Filium, & à Patre ac Filio procedit sanctus Spiritus.

69. De hac protoplastorum hominum beatitudine testantur loca scripturarum *Genes. 1. 26, 27. & 2. 16, 25.*; ubi videmus quàm præclarè liberaliterq; de vitæ subsidiis homini Deus prospexerit ; quàmq; lato & amplo imperio eum præfecerit. Et quia etiam *Gen. 2. 17.* homini peccaturo mortem comminatus est ; colligimus, eum, si ἀναμάτητος, i. e. impeccabilis mansisset, etiam ἀθάνατον seu immortalem vitam fuisse viturum.

70. Hujus verò imaginis Dei rudera quædam rudia, putida & confusa post lapsum sunt reliqua ; animæ quidem essentiâ salvâ, sed ornamentis cœlestibus spoliatâ, nempe vitiosâ & miserâ ; quam nisi reficiat, qui fecit, de tota salute actum est penitus. Refector autem est secundus Adamus é cœlo in quo jam novę sumus creaturæ, ad cœlum vocatæ, meritóq; & efficacîâ illius salvæ futuræ.

71. Hucusq; de hominis natura & primo statu communia seu generalia diximus : nunc ad divisionem est pergendum.

72. *Initio condidit Deus duos homines, sexus distinctos.*

73. *Sec-*

73. Sexus est conditio generis, secundum quam inter animalia ejusdem ordinis conveniens est differentia; ut scilicet aliud mas, aliud foemina dicatur; quorum illud in seipso, hoc in alio generat. Sexu autem distinctos homines dicimus, non specie seu essentiali differentiâ. Mas enim & foemina ejusdem sunt speciei; si quidem species more usitato sumatur pro ea communi notione, quæ proximè est supra individua, ut homo species est, Josephus & Maria individua seu res singulares. Nec verò sexus in omni animalium genere reperitur; quod Aristoteles observat *lib. 2. de generat. animal. cap. 4. 3. & lib. 4. de historia animal. cap. 17.* Differunt autem mas & foemina & vasorum spermaticorum structurâ, & plurimum quoque corporis temperie. Nam in foemina debuit esse locus sapientiâ architectatoris Dei destinatus ad id unde homo nascitur, excipiendum, concipiendum & fovendum, sed ex sancta Dei lege, intra limites ordinis ab ipso instituti; qui, ut ait apostolus *Heb. 13. 4.* voluit esse *honorabile inter quosvis conjugium & cubile impollutum: scortatores autem & adulteros judicabit.* Eam etiam ob rem foeminam Deus voluit esse temperie frigidiorum, quàm marem, quia materiam alendo foetui accommodatam suggerere debuerat.

Cæterùm si speciem populariùs accipiamus, ut eâ discriminari dicamus, quæ posita sub communi natura, qualicunq; differentiâ, eâq; tanta, quantam genus & natura fert, distinguuntur; specie mas & fœmina non convenient. Ita genus hac definitione comprehendemus, *Homo est animal rationale;* & marem ac fœminam in hoc genere/ tanquam species subjiciemus, *Mas est homo factus ad officium paternum; Fœmina est homo ad officium maternum.* Si certè cum nonnullis Logicis omnem distributionem dicamus aut esse integri in membra, aut generis in species: mas human<sup>9</sup> & fœmina humana species hominis erunt; sed considerati, quatenus animal est, i. e. substantia corporea sentiens. Sexus enim animam per se non spectat. Dicimus autem marem humanum, & fœminam humanam, quia sexus etiam est extra genus humanum: puta in aliis plerisq; animalibus; nulla autem in spiritibus; quos qui ἀρρενοθήλας vocet, i. e. utriusq; sexus, is impropriè loquetur: etsi in mysterio *Hermes c. 1. Pæmandr.* usurpet, de spirituali τῆ νοῦς δημιουργῆς, i. e. mentis opificis, Filii Dei generatione, à mente Deus geniti/agens. Hic enim ἀρρενοθολος idem erit atq; μηδὲ ἀρρην, μηδὲ θήλυς, neq; mas, neq; fœmina.

74. *Mas* Hebrais מִזְּמָנֵהוּ q. μνήμων dicitur; sive quòd memoria vi polleat supra fœminam, sive quòd memoriam generis

generis sui conseruet & propaget. Proles enim non in  
 fœmina sed in maris nomen transit, tanquam potioris.  
 Sic etiam Aramæis  $\text{מָרְכָה}$  & Arabibus  $\text{مَرْكَب}$  vocatur,  
 mutato Hebræo  $\text{מָרְכָה}$  in  $\text{מָרְכָה}$ . Græcis mas est  $\alpha\mu\alpha\sigma\tau\omega\nu$  vel  $\alpha\epsilon\sigma\tau\omega\nu$   
 quod sit  $\delta\psi\epsilon\iota\omega\nu$ , i. e. prestantior sexus, seu quod ratione  
 temperamenti sit  $\alpha\epsilon\gamma\alpha\tau\epsilon\sigma$  supra fœminam, vel aptior seia  
 dignior,  $\alpha\mu\alpha\sigma\tau\omega\nu$   $\alpha\epsilon\gamma\epsilon\iota\nu$ . Latini marem potuerunt di-  
 cere quasi majorem statu. Sed quia prima vocalis bre-  
 vis est ducetur potius à  $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\nu$ , quæ vox olim manum si-  
 gnificavit, unde  $\epsilon\upsilon\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\eta$  quæ facilia sunt, & quasi sponte  
 sub manum veniunt, &  $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\nu\alpha\delta$  manum conserere, ac  
 $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\pi\lambda\epsilon\iota\nu$  q.  $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\eta$   $\alpha\pi\lambda\epsilon\alpha\delta$  manu tangere, prehendere;  
 vel à  $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\gamma\epsilon\iota\nu$ , unde  $\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\mu\alpha\sigma\tau\epsilon\gamma\epsilon\iota\nu$  splendere, quod sit fœmi-  
 nâ splēdidior seu excellentior, Verum præ istis omnib<sup>9</sup>, mas  
 melius derivetur ex eo, quod sit  $\mu\alpha\sigma\tau\omega\nu$ , i. e. longior seia  
 major & excellentior sexus. Ab hoc aut diminutivo  
 masculo fecerunt Itali maschio Hispani macho, Galli  
 malle, Angli male, Apertius Slavoni mosh, Poloni  
 maz, Bohemi muz. Et man est affine, quod Danis  
 mand, etsi id à monendo oriri queat; de quo supra dixi-  
 mus, quum de homine ageremus. Vir est mas inter ho-  
 mines; quem nos similiter man vocamus: ut & alie gen-  
 tes multa eodem nomine quo genus, nempe marem vel ho-  
 minem. Dicitur autem à vi, sicut Hebræis  $\text{מָרְכָה}$   
 ab eo, quod virib<sup>9</sup> prevaleat; item  $\text{מָרְכָה}$  q.  $\text{מָרְכָה}$  i. e.  
 fundamentū sc. generis; &  $\alpha\upsilon\eta\epsilon$  quod sit  $\alpha\upsilon\omega$   $\tau\eta\varsigma$   $\text{Ἰνδίας}$   
 supra fœminam.

75. Fœmina Hebræis  $\text{מָרְכָה}$  vocatur, quod quæ  
 parte solidum & quasi clausum corpus mas habet, ipsa  
 fœt<sup>9</sup> edendi causâ ceu fores habeat; admirabili Dei crea-  
 toris opificio, de quo nec cogitandum nec loquendum est  
 sine divina sapientia veneratione. Græcis est  $\text{Ἰνδία}$ ,  
 à  $\text{Ἰνδῆ}$ , i. e. ubere seu mamma, quæ ad alendum fœtum  
 in hoc sexu peculiariter  $\text{Ἰνδία}$ , i. e. floret, vitali succa.

G a Latine

Latine foeminam à foetus minando, i. e. ducendo appellaverunt. Hunc enim ipsa concipit, & primis annis propè sola educat. Hinc Italis femina, Gallis femelle, & femme; ut ab hombre, i. e. homine Hispanis hembra. Et Anglicum woman affine est foeminæ, quod tamen in bestiis female. Alioqui wo man sonat, ut wie man, ut vir; quia est ejusdem sexus, vira. Nam, teste Festo olim vires dicebantur, quæ nunc foemina; unde adhuc virgines & viragines. Sic Hebrais וִירָא est vir, וִירָא vira Gen. 2. 23. Germanicum weib / Saxonibus wif, / quasi vivam (quod Gallis vif) dici opinamur, quod omnis viventis mater sit, secundum naturæ constitutionem: par ratione, sicut prima foemina fuit וִירָא dicta q. vivifica. Frau autem propriè est hera, domina; quod libera, quasi freye: sicut etiam Latini posterioribus temporibus domina (ut Itali donna) vocarunt mulierem. Et tamè & F etiam commutari queunt; ut et ab hera sumi nomè id potuerit: sicut horda & forda idem sunt. Slavon. shena, Dalmaticum xena, Bohemicum zena affinia sunt, voci יִוֵּנָה; si g Gallico more cum sibilo proferatur: יִוֵּנָה autem nomen invenit à יִוֵּנָה, i. e. foetura; in qua ejus plura & laboriosiora opera. Foemina nomen brutis animantibus commune est; mulier autem inter homines dicitur, ut uxor quæ conjugata, chefrau / chegemahl; ut maritus cheman. Mulier verò, ut videtur, à lacte, quod hic sexus foetui ex se mulget; vel quod molliore minusq; robusta sit corporis constitutione atq; vir. Hispanis est muger. Generis nomen alii plurimum retinent. Mira autem hic est Danorum vox quinde, ut videtur à genitu, q. genitrix, vel וִירָא וִירָא quid est concipere, gravidam esse. Et Anglis tind est genus; sicut nobis tind est genitum aliquid, רֵעָא. Nam inde dicitur. Maritus & marita à mare dicuntur. Arabes virum & maritum מֶרְאִי, uxorem seu viram מֶרְאִיָּה vocant; à Syro מֶרְאִי dominus, hevus, מֶרְאִי domina, hera; unde & marem ducamus, tanquam dominum in sexu. Sed de verbis satis.



76. Duplex in natura sexus erat necessarius ad specierum propagationē; etsi generatio mirabiliter quoq; in universitate rerum disparetur. Nam quædam solâ putredine generantur, nunquam partu, quædam modò ex putri materia, modò ex femine, quædam affricu solo; nonnulla intra se sine mare concipiunt, quædam autem non nisi sociata alteri sexui.

77. Fœminæ non minùs quàm maris sexus/ est quædam speciei perfectio; neq; fœmina dici debet ἀρρεν πεπηρωμένον, i. e. mas imperfectus, & nature παρακβασις & παρέργον, i. e. excursus & prævaricatio; vel primum monstrum in natura. quæ vox aut opinio indigna admodum est philosopho, & in Dei ordinem ac sapientiam injuria, impiæq; plena inconsiderantiæ.

78. De distinctis in humana natura sexibus Moses sic loquitur *Ge. 1. 27. Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit eum; marem & fœminam creavit eum*: non unum ἀρρεν ὄθηλον, qui utrumque sexum simul haberet, ut Judæi sceleratè nugantur; sed in singulis sexibus unum. Ideo ait, *Creavit illos* אִתָּן נָרָא. Et mas initio ex gleba terræ, fœmina autem è costa viri est facta. Et *Matth. 19. 4. dicitur, Non legistis opificem ab initio fecisse masculum & fœminam?*

79. Deus non condidit eodem momento utrumq; protoplastorum parētum, sed alium post alium; ac virum Adamum quidē, quantum ad corpus, è pulvere terra, animā ratiōnali in illud inspiratā.

80. Primus pater dictus est Adamus, i. e. homo; atq; ita nomen generis factum est in eo proprium unius individui.

81. Corpus primò formatum est, tanquam animæ domicilium futurum: & quidem ex pulvere; sicut Gen. 2. 7. dicitur: *Finxit DOMINUS Deus Adamum de pulvere terra.* Et 1. Cor. 15. 47. *primus homo è terra dicitur χοϊνός, i. e. pulvereus.* Pulvis est terra resoluta in grumulos, arida & levis, quæ in superficie soli à ventis est dissipabilis. Is verò pulvis cum *אדמה*, i. e. rubra terra vel argilla seu luto mistus fuit. Hinc est quòd *homo*, i. e. anima hominis *domos luteas* seu argillaceas *inhabitare* dicitur Job. 4. 19. Ideo etiam Esa. 64. 12. ajunt fideles: *DOMINE Pater noster es; nos lutum sumus, tu verò fictor es noster, & opus manus tue sumus omnes.*

82. De brutorum creatione dicebatur; *Producat terra animantia.* Gen. 1. 24. Non sic de homine; sed majore cum apparatu / s. trinitas velut cōsultans, *Faciamus*, ait, *hominē ad imaginem nostram.* Hoc lutum, ex quo homo exstitit, sanctis suis q. manibus ipse  
Deus

Deus tractavit, & non externam tantum ei  
indidit figuram, & lineamenta ejus distinxit;  
sed suis intus quasi contignationibus & cellis  
artificiosis discrevit, epar, cor, cerebrum,  
tanquam trium facultatum naturalis, vitalis  
& animalis officinas struxit, vasorum genera-  
tria/ venas, arterias & nervos eis accommo-  
davit; & omnino per harmoniam accura-  
tissimam ea contexuit, de quibus supra sum-  
matim egimus.

83. Noluit autem corpus, sicut animam,  
ex nihilo facere; non etiam ex sideribus, nec  
ex eo auro, quod paradisi fluentia volvebant;  
sed ex vili materia; ut & opificis sapientia ac  
potentia esset evidentior, qui tam nobile/ &  
cælo præstantius opus ex infimo & spreto  
elemento fabricaretur; & ut nos humilis o-  
rigo de modestia & humilitate perpetuò ad-  
moneret, quum ortu non simus meliore,  
quàm brutæ animantes; & quicquid insuper  
accessit, Dei gratuitâ dignatione habeamus.

84. Ipsum verò illud corpus initio q. ex  
anime, ut vitæ expers humi jacuit, donec De-  
us flatu suo animam & vitam ei inspiraret.  
Hanc verò mox, quum factum esset corpus,  
illi associavit, ut hominis essentia ex duabus  
illis partibus compleretur, quarum scilicet  
altera de terra fuerat sumpta & levata, altera  
quasi cælo delata, i. e. non ex elementis facta,  
sed à Deo cœlesti patre indita. D s

85. Quale autem corpus Adami factum sit initio, difficile explicatus habet, utrum scilicet planè omnis animæ & vitæ expers, an verò rationalis tantum.

86. Si modum generationis per creationem à deo ostensum putemus; dicemus, corpus è terra factum, ante inspirationem divinam, habuisse in se vitam & sensum, sed utrumq; sopitum, atq; ita non exseruisse: perinde sicut nunc humanum corpus in utero materno, ante superventum animæ rationalis, vivit & sentit, etsi sui nescium: adeo, ut ad sui ipsius notitiam, quam quidè observet, homo serò pveniat, Dei admirabili gubernatione; inter alias causas etiam ideo, ne forte sua in organorum & artuum debilitate angatur, & contra eam niti volens se perdat ipsum. In prima hominis vita, ea scilicet quæ in utero degitur, est quasi perpetuus somnus; ubi se nutritio & nonnunquam motus quispiam exserit. Et primus editi in lucem infantis annus est quasi somnus, quo, quum rectè valet, plurimùm quiescit. Ita homo iis momentis, si quinque aut sex ponamus ante sufflationem, videri possit Adamus quasi conceptus & in terræ superficie gestatus ac fatus; animâ autem à Deo inspiratâ in lucem editus, Deum, se & alia ejus opera cognovisse.

87. Sin autem ex inspiratione divina omnem

omnem vitam corpori facto primū illatam  
 esse asseramus; illud ad tempus, licet breve,  
 tanquam statua jacuerit aut cadaver. id quod  
 minus probabile judicamus: hoc tanquam  
 verisimilius sequentes, Adamum primò con-  
 ditum esse tanquam animal, sed à principio  
 ortus sui datum in somnum, ut quasi vitæ &  
 sensus expers videretur. In ejus enim cor-  
 pore utiq; omnia membra fuerunt, naturalia,  
 vitalia, animalia, nempe epar, cor, cerebrum,  
 & vasa quoq; vehentia sanguinem, & spiri-  
 tum naturalem, vitalem, animale, nempe  
 venæ arteriæ & nervi. Hæc autem omnia  
 simul quomodo sine vita & sensu ponemus?  
 Ita scilicet primò affecta res fuit homo, quæ  
 accessione divinæ auræ esset perfecta. Anima  
 rationalis, extra omnem dubitationem ea fu-  
 it, quæ inspirationis symbolo homini est in-  
 gesta. Ea in hominem (i. e. eam partem  
 quæ ex humo fuerat facta) ingressa / duo ei  
 contulit, primò ut ratione præditus esset, &  
 fieret πνεῦμα ἐνσάρκω q. spiritus incarnatus;  
 deinde ut vita & sensus in substantia illa cor-  
 poreæ, quam stricto significato hominem di-  
 ximus, in actum deducerentur, & velut è so-  
 mno excitarentur. Nullas enim hominis  
 nisi completi actiones externas esse Deus  
 voluit, ne à bruta animæ viderentur editæ.

88. Id autem absurdum non fuit, quum

non

non sit existimandum diei integri neq; dimidii intervallo / corporis & animæ creationes fuisse disjunctas. Aut enim statim, aut post pauca momenta animæ creatio & infusio / corporis effectio est cōsequuta. hinc *Gen. 2. 7.* quum dixisset Moses, quòd *Deus finxerit hominem de pulvere terra; continenter subjicit; & sufflavit in naves ipsius halitum vita.* Huic assertioni faciliùs assentientur, qui cogitant, quàm diversæ res sexto die à Deo sint procuratæ. Primo enim fecit bestias terrenas, pecudes & reptilia. Deinde Adami corpus è terra struxit, & animam ei inspiravit. Tertiò ad Adamum adduxit bestias & volucres, quibus ipse nomina imponeret; quod & Adamus fecit, indeq; cognovit sibi adhuc compar animal deesse. Erant autem in eo conventu quidem mares & feminae, sed nulla quæ vira aut uxor dici posset. Hæc res multò maximam diei partem absumpsit. Quartò post hoc factum conjecit Deus Adamum in somnum profundum: & è costa ejus dormientis lateri exemta Evam edidit. Quintò eam adduxit ad Adamum & ei conjugem dedit. Sextò in paradiso homines collocavit, & eis legem de cavendo esu fructuum arboris scientiæ boni & mali tulit.

89. His, quæ diximus nihil obstat, quòd Deus dicitur halitum seu animam vitæ sufflavisse

villē in nares homines: & sic homo factus sic anima vivens. Nam  $\text{נְשֵׁמָה}$  significat halitum, & non omnem animam, sed humanam & cœlestem; unde etiam sapientes observant, affinem esse vocem nomini  $\text{שָׁמַיִם}$ , i. e. cœlorum. Et hæc anima dicitur halitus/ sicut spiritus, quòd inter res corporeas spiritus seu halitus animam eo referat, quòd non sit crassus sed subtilis & tamen potens admodum. Quamvis enim spirituum non sit subtilitas, sed corporum; quæ tamen corpora mole sensibili non constant, ea q. spiritua- lia videntur. Is autem halitus seu spiritus vitæ est, quia & præstantissimam vitam homo inde habet, nempe intelligentem, & vitam quoq; inferiorem suâ præsentia servat & excitat. Et per hunc halitum seu animam rationalem homo factus est anima vivens, i. e. animal rationale, quod & se intelligendo, & actu sentiendo/puta audiendo, vivendo, appetendo, loquendo movēdoq; exerebat; quum à Deo nobilissimam sui portionem accepisset, & eam animam quæ hominem constituit & ab aliis rebus distinguit: quam specificam dicimus, & unam in singulis hominibus ponimus; quum unius rei non possit esse nisi una forma essentialis.

80. Quare autem Deus non creavit simul totum hominem, animam scilicet in corpore &

re & cum eo; sicut una actione brutarum animantium & corpora & animas produxit? Id gravissima de causa factum est; ut intelligeretur, primò, naturam nostram duabus distinctissimis partibus constare, corpore animali & anima intelligente: deinde etiam, ut manifestius liqueret, hanc animam non esse accidens aliquod, aut vaporem corporeum, aut crasin sanguinis; aut omnino talem animam, quæ cum corpore orta, eo moriente necessario pereat & in nihilum abeat, sed spiritum vivum, qui seorsim à corpore subsistere queat, immortalisq; sit & divinus, cuius gratiâ homo imago Dei jure appellatur.

91. Verum quid est, quod apostolus *1<sup>o</sup> Thess. 5. 23.* duabus plures partes in homine ponit, quum ait: *Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus, & anima & corpus inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi conserventur?* Hic spiritus est mens intelligens ac volens; anima sedes appetitus sensuum, & affectuum, qui cum aliis animantibus nobis sunt communes; & corpus significat membra, quibus ceu instrumentis ad res intellectas & appetitas prosequendas utuntur.

92. Quia Deus animam inspirasse dicitur; non ab re existimatur, Filium Dei externa specie assumpta, oris anhelitu animam homini infu-



infudisse. Certè per Filium Deus omnia fecit *Job. 1. 3.* & is ab initio filios hominum ut delicias suas habuit. *Prov. 8. 31.*

93. Spiratio illa/ rei, quæ creatur, spiritalem naturam indicat. Nec prætereundum est, quòd Deus in nares inspiravit animam, non a. in aures, aut oculos; quoniã per nares inspirãdo & expirãdo aëre se evidētissimè illa exferere debebat. Sine respiratione enim vita nostra conservari nequit: & ex spiratione per nares/ vitæ & animæ præsentia colligitur. Eares etiam nos de imbecillitate nostra admonet, quorum vita à tam angustorum foraminum (nares dico) usu pendet. Hinc Deus *Esa. 3.* ait: *Abstinete ab homine* (ut sc. in eo fiduciam non ponatis) *cui halitus est in naso ipsius*, i. e. fumus quasi evanidus, ut hoc velut vaporario obstructo (quod facile casu fieri potest) hominem emori sit necesse. Conveniebat verò etiam animam per partem hominis præstantiorem, unde à brutis maximè dignoscitur, faciem nempe, inspirari: quæ etiam est præcipua sedes sensuum, & in ea interiorum animi affectuum & motuum indicia enitent.

94. Animæ rationalis materia nulla à Mose nominatur; neque etiam est ulla. Non eduxit illam ex sua essentia. Ita enim ipsa deus quidam esset. Sed neque Deus ullo modo



modo partitionis capax est, neque venit in rerum aliarum concretionem, seu non miscetur cum creaturis. Est enim Deus omnium rerum efficiens & finis, nullius autem materia & forma, atque ita neque pars quaedam. Si quando autem anima divinæ particula auræ vocitetur; id aut falsum est, aut (si ad bonum sensum trahere velimus) sic interpretabimur, quòd à Deo sit facta & cum eius natura similitudinem habeat; quasi scilicet inde delibata esset. Neque verò animæ rationalis materia potuit esse aliud aliquid spirituale creatum. Nam spiritus præter animam illam non sunt alii, quàm angeli. Hi autem non mutantur in creaturas inferioris ordinis; neque causa hîc dici potest, quare res completæ naturæ in partium locum redigantur. Neque etiam anima rationalis ex irrationali existere potuit. Quum enim materia omnis maneat in effectu opere, etsi aliàs magis aliàs minùs mutetur; quumq; anima vegetans ac sensifica sint corporeæ: ipsa quoque rationalis dicenda esset corporea; atque ita nihil magnum supra brutas pecudes homo nactus esset. Et, propter easdem causas, nullum aliud corpus huius animæ origo esse potuit. Concludimus itaq; , eam è nihilo conditam esse, & merè spirituale: quod ipsum etiam insignes eius operationes

satis

fatis ostendant, quod scilicet res à materia ab-  
 junctas cognoscere, Deum, angelos, naturam  
 virtutis æternæq; beatitudinis intelligere, &  
 generales ex rebus singularibus notiones col-  
 ligere & abstrahere potest.

95. Transimus nunc ad fœminæ creationē.  
*Fœminam autem Deus ex Adami dormientis*  
*costa condidit.*

95. Fœminam initio Adamus vocavit *Issa*,  
 i. e. vitam. *Gen. 2. 23.* Evæ nomen posteri<sup>9</sup> est.  
 Post lapsum enim, & auditam Dei sententiam  
 in peccatores, perceptam etiã consolationē,  
 ut est *Ge. 3. 20.* *Vocavit Adam nomē uxoris suæ*  
 חַוְוָה *Chavva*, vulgo *Eva*; additã causã, eò quod  
*mater foret omnium viventiu.* Cur enim pro-  
 leplū historicam ibi statuamus, ut scilicet po-  
 steriùs narretur quod priùs gestum fuerit, cau-  
 sam nullã videmus idoneam. Videtur autem  
 Adamus in nova illa appellatione, divinæ be-  
 nignitatis monumentum posuisse; quod, quū  
 mulier tanquã defectiois mater subitã mor-  
 tem merita esset; non modò tamen diu super-  
 victura, sed inter varios dolores & pericula  
 part<sup>9</sup> multis liberis vitã impertitura fuerat. Se  
 autem non patrem viventiu, sed uxorem ma-  
 trem viventium appellavit, eò quod mater nō  
 tantum ad sobolem/mortuum quasi sanguinē  
 conferat, sed conceptum totum vitali arvo u-  
 teri sui, divinã quasi favillã, foveat, & planè a-  
 lioqui evanidum futurum & in putredinem

H abitu-

abiturum, vivere efficiat, & fœtum usq; ad iusta incrementa in se cõplectatur. Ita suo quodam modo ad vitam hominis plus cõfert fœmina, quàm mas: etsi maris semen efficacitate sit nobilius, & fœmineum velut animet. Quæ universa Dei instituta in natura, animo sancto, & castimoniam omnis observante æstimanda sunt; ne ullis fœdib⁹ humani generis fons inquinetur, aut dignitas nostra violetur.

97. Cæterum, quum in universalib. illis comitiis sacræ trinitatis, Adami, qui solus totum humanum genus tũ repræsentabat, & omnium animalium in sicco degentium, nullũ auxiliũ sibi commodum homo invenisset; cum nova præfatione ad fœminæ creationem progressus est Deus, dicens: *Non est bonum hominem esse solum; faciã ei auxiliũ, commodum ipsi Gẽ. 2. 18.*

98. Tunc autem ex sopiti Adami latere costã sumsit, quæ mulieris condendæ materia esset; & quidem sine cruciatu; carne verò eum locũ implevit. Costa autem illa non fuit nudũ os, sed pars perfecta ex osse, carne & nervis. Ideo etiam Adam⁹ Evam agnoscens, (quasi scilicet in somnio divino viderit ex se tolli costã carneam, & ex ea creari fœminam) ait: *Hac vice adest os ex ossibus meis! & caro ex carne mea.*

99. Primam fœminam non ex terra, aut aliunde, sed ex viro ipso condere voluit Deus, ut sexus hos inter se cognatione quadam devinciret arctiùs; utq; vii uxores suas diligerent, tanquam

tāquam propriam carnem; ut monet apostolus  
*Eph. 5. 28.* Nō est autem è capite viri facta fœ-  
 mina, ne se ut caput ejus & dominam gereret;  
 nec ex pede, ut abjecta haberetur tanquā ser-  
 va; sed ex latere, media corporis parte, ut tan-  
 quam compar & socia mediocri dignatione  
 apud virum haberetur. Eam costam Deus in  
 Adamo hūc peculiarem in usum cōdidit, quæ  
 ei supervacanea non erat, quatenus scilicet nō  
 tātūm ipse perfectum individuum, sed etiam  
 principium humani generis futurus erat. Hīc  
 curiositates non venabimur: ea credere cō-  
 tenti, quæ revelare divino spiritui visum fuit.  
 Id tamen cum multis existimamus, costā hanc  
 ex utroq; latere fuisse desumptam, infra cordis  
 regionem; ut hac etiam ratione voluntatum  
 consensus, unde totius vitæ ordo & rectus e-  
 ducationis successus pendet, firmaretur. Illa  
 verò etiam figura fuit Christi & ecclesiæ. Hæc  
 enim ex illius morientis latere velut emerfit;  
 dum sanguine suo expiatis peccatis nostris,  
 nobis in cœlo locum reparavit.

100. Quid verò de anima mulieris dicendū  
 est; quum fœmina non minùs atq; vir sit ani-  
 mal rationale? Ex carnea costa, quæ corporea  
 fuit, rationalis anima non potuit produci. Sic  
 enim corporea esset anima. Si autem ex Ada-  
 mi anima fuisset tracta; ea divisionis compos  
 esset. Si tamen omnino inde exstitisset; hoc  
 tanquam præcipuū, in historia sua Moses non

H 2      fuisset

fuiſſet omiſſurus. Neq; etiam Adamus foemina-  
nam dicit eſſe animam ex ſua anima, ſed os ex  
ſuis oſſib⁹ & carnem è carne ſua. Quia autem  
ea de re tacuit; relinquatur, corpori foeminae  
ſtructo è colta/ ſimiliter animam à Deo inſpi-  
ratam eſſe. Eandem ſententiam amplectitur  
*Auguſtinus lib. 10. de Genef. ad liter. cap. 1. di-*  
*cens: Quia non dixit ſcriptura, ex anima viri*  
*factam eſſe animam mulieris, cōvenientius cre-*  
*ditur, eo ipſo nos admonere voluiſſe, nihil hic a-*  
*liud putare, quàm de viri anima noveramus, id*  
*eſt ſimiliter datam eſſe mulieri. quum praſertim*  
*eſſet evidentiffima occaſioni locus, ut, ſi non tunc*  
*quando formata eſt, poſtea certè diceretur, ubi*  
*ait Adam; Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro*  
*de carne mea. Quanto n. charius amantiùsq;*  
*diceret, Et anima mea? Sed nos de animi cor-*  
*porisq; noſtri recto uſu maximè ſoliciti ſimus,*  
*omninoq; de iis, quæ in iudicium Deus addu-*  
*cet; & ſobriè ſapientes at plenè pii eſſe labore-*  
*mus; ut fiat quod jubet apoſtolus 1. Cor. 6. 20.*  
*Glorificate Deum in corpore veſtro & in ſpiri-*  
*tu veſtro, quæ ſunt Dei.*

101. Hæc quoq; de ſexu in hominibus di-  
ſtincto; ut ex duabus q. vivradicibus totum  
humanum genus fundaretur, atq; ita naturali  
nexu inter ſe colligaretur. Ideo apoſtolus *act.*  
*17. 26. Fecit, inquit, ex uno ſanguine totam gē-*  
*tem hominū. Angelorū a. ſpecies ſeu individua*  
*omnia ſimul Deus produxit, ſicut ſtellarum.*

102. Id

102. Id a. quod de hominibus dicim<sup>9</sup>, non de solis corporibus, verum etiam de animab<sup>9</sup> rationalibus intelligimus. Neq; n., ut quidam sunt comēti, omnes simul sunt cōditę, quę suis temporib. p̄ distincta corpora dispēsarētur.

103. Cæterum ex iis, quæ de sexus discrimine docuim<sup>9</sup>, colligetur; etsi ambo protoplasti parentes sint conditi sapiētes, sancti & beati, quippe ad imaginem Dei; hanc tamen in illis imparem fuisse, in viro scilicet nitidiorem, quàm in fœmina. Nam vir caput fuit sui generis, etiam in primo statu.

104. Id ex ipso Mose intelligitur. Fœminā n. Deus Deus condidit, ut esset viro auxilium juxta eū seu simile ei, ac subordinatū in communionē naturæ; non ut bruta infra eū, serva, in generis dissimilitudine. *Gen. 2. 18.* Ita quidem ad latus viri mulier collocatur, ut compar, at etiam ut impar; quia viri causā est condita; ut sit adiutoriū pietatis erga Deū, amicitia & benevolentia erga conjugem, generationis sanctę & educationis liberorum, & deniq; & œconomia seu rerū ad sustentationem terrena vitæ pertinentiū: post lapsum verò etiā est adiutorium infirmitatis, ut impuro amore marit<sup>9</sup> non polluatur, sed intra ordinē divinum contineatur. Et in his quidem maritus & uxor socias operas in timore Dei jūgēt: sed maritus præcellit dignitate; ita tamen ut servæ loco non habeat uxorem.

105. Apostolus 1. Cor. 11. plura argumēta pro viri prærogativa conjungit; quū ait: *Virum esse imaginem & gloriam Dei; mulierem autem gloriam viri esse. Non enim virū ex muliere esse, sed mulierē ex viro; neq; virū cōditū esse propter mulierem, sed mulierē propter virū.*

106. Videri possit hīc mulieri imaginis divine ornatum derogare: verū ea mens non est divini doctoris. Virum vocat imaginem Dei, i. e. opus Dei, in quo eximiē imago Dei relucet, & quidem hīc in specie potestas seu imperium universale, nō modò in res alias hujus mundi, sed etiā in ipsam mulierem. Cōsilio n. & opere vir ordinat & gubernat omnia, proximē Deum, vices ejus gerens; & in suo genere quasi aneclogistus est; ut Deo rationē de se reddere teneatur; mulier a. etiam viro. Et hinc vir est gloria Dei, i. e. speculum, in quo relucet auctoritas seu gloria & majestas Dei, ut scilicet propter illam potestatē venerabilis sit non aliis tantū animalibus, sed etiam fœminæ. Mulieri virum eo etiam anteponit, quòd prima mulier sit ex viro facta, nō a. vir ex muliere. Respicit nempe ad Dei cōsiliū, qui virum prius, fœminam posteriūs condere voluerit, ut illius dignitatem majorem, minorem hujus esse ostenderet. Creationis ordinē, tanquam potiozem, ut á Deo immediatē pendentem, proponit, ubi fœmina ex viroeducta est: non a. ordinem generationis, ubi  
homo



homo ex fœmina est, etsi neq; sola, neq; principaliter. Repetit idem *1. Tim. 2. 12, 13. Mulieri non permitto auctoritatem usurpare in virum, sed mando ut sit in silentio. Adam<sup>9</sup> n. prior formatus est, deinde Eva. Et viri iuvandi, non regendi causâ mulier est cõdita. Hęc igitur est, ut subsidiũ & mediũ ad virum tanquã finem.*

107. Si spectemus sapientiam, sanctitatem & gaudium, item dominium in alias res creatas; etiam fœmina ad imaginem Dei condita est: sicut *Gen. 1.* dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; masculum & fœminam creavit illos: & voluit, ut terram sibi subjicerent, & dominarentur piscib<sup>9</sup> maris & volucrib<sup>9</sup> cœli. Quãtum autem ad status & ordines œconomicum, politicum & ecclesiasticũ; viri est gubernatio; quippe qui Deo quidem subjectus, cœtera in hoc mundo sibi habet ὑπεξέστια καὶ ὑπέθυνα, i. e. subjecta & obnoxia.*

108. Interim neutri sexui secundũ ordinẽ suum, & illum statũ (qui nõ tantũ erat beatitudinis, sed etiam explorationis) conveniẽs decor defuit. Vir obtinuit dignitatem, quantam viri, & fœmina, quantam fœminæ esse expediebat, et tum Deo honorificum, tum ipsis commodum erat; quantam etiam ipsa mundi in gradibus honorum non minima ex parte / posita, requirebat perfectio.


109. Quæ enim rerum universitatis magno-  
pere prædicãda foret pulchritudo aut elegan-  
tia, si


tia, si omnium operum divinorum par bonitas & æqualis præstantia foret? Gratia omnis propè peribit cælo, si siderum in mole, claritate & motu nulla fuerit differentia? quãtum deliciarum & voluptatũ decedet terris, si plãtarum & animantium eadem statura, idemq; color esset? Scilicet ut in fidib<sup>9</sup> harmoniẽ suavitatis nulla est, nisi ex acutarum, mediarum & gravium seu imarum vocum mistione consona & dissona; ita etiam universus hic κόσμος ἁγίου foret, i. e. mundus quasi inornatus, nisi impar similitudo, at differens congruentia, plurimario velut artificio, eum illustraret & condecoraret.

110. Nos tantũ operam demus, ut dissonantia malorum dictorum aut factorum stridore contentum, quem Deus sancivit, nõ violem<sup>9</sup>, sed tot præcipientibus angelorum bonorum tibi is succinamus: **DIGNUS ES DOMINE, QUI ACCIPIAS GLORIAM ET HONOREM ET VIRTUTEM: QUIA TU CONDIDISTI OMNIA, ET PER VOLUNTATEM TUAM SUNT, ET CREATA SUNT.**

**F I N I S.**







B.I.G.

Farbkarte #13

# CREATIONE

II COMMEN-  
ARIOLUS,

ndam s. theologiae  
m methodicam

ertinens :

*Auctore*

MARTINIO, S. LITTE-  
RESSORE IN SCHO-  
BREMENSI.

Pfal. 100.

NUM esse Deum, ipsum effecisse  
non autem nos ipsos.



BREMÆ

annem wesselium

clō. 1ō. cXIII.

